# THEOLOGIA MORALIS

IN

## COMPENDIUM REDACTA

AB

**AMBR. JOS. STAPF,**

*Theol. Doct., Eccl. cathedr. Brixin. Canonico, Consil. eccles. actuali, atque Theol. mor. et Paedag. Professore emerito.*

---

TOMUS IV.

COMPLECTENS CHRISTIANAM ASCESIM.

**EDITIO QUINTA.**

Cum reiterata approbatione Reverendissimi Ordinariatus Brixin.

---

OENIPONTI,

TYPIS ET SUMTIBUS WAGNERIANIS.

1842.

„Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem!
Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma.“

Matth. 26, 41.

# CONSPECTUS DICENDORUM.

## INTRODUCTIO.



## PARS I.

### ASCESIS GENERALIS.



### SECTIO I.

#### PRAEVIAE CONDITIONES AD FELICITER DECERTANDUM.

#### Caput I.

*Diffidentia de semet ipso et invicta fiducia erga DEUM.*



#### Caput II.

*Desiderium in virtute proficiendi.*



#### Caput III.

*Necessitas spiritualis directoris.*

## Caput IV.

*De mentis tranquillitate.*



## SECTIO II.

DE SUBSIDIIS AD FELICITER PUGNANDUM NECESSARIIS.



## I.

*DE CHRISTIANA VIGILANTIA.*



## A.

DISQUISITIO STATUS SUI MORALIS.



## B.

DOCTRINA DIAETETICA.

## Caput I.

*De refrenandis sensibus externis.*



## Caput II.

*De coërcendo sensu interno.*



## Caput III.

*De reprimendis inordinatis affectibus.*

## Caput IV.

*De conversatione externa.*



## C.

### ARS GYMNASTICA.



## Caput I.

*De mortificatione interna.*



## Caput II.

*De externa mortificatione.*



## Caput III.

*De statu religioso.*



## II.

### *DE ORATIONE.*

A.

SUBSIDIA ULTRONEA.

## Caput I.

*De pia lectione.*



## Caput II.

*De meditatione.*



## Caput III.

*De piis precibus.*



B.

SUBSIDIA PER ECCLESIAM SUBMINISTRATA.



## Caput I.

*De sacris ritibus et ceremoniis.*



## Caput II.

*De sacramentalibus.*

## C.

### SUBSIDIA POSITIVO-DIVINA.

## Caput V.

*De reliquis Sacramentis.*



## SECTIO III.

### DE IPSO CONFLICTU CUM HOSTIBUS.



## Caput I.

*Dispositio animi hostem operientis.*



## Caput II.

*De ratione tentationibus resistendi.*



## Caput III.

*De agendis post pugnas graviores.*



# PARS II.

## ASCESIS APPLICATA.



## SECTIO I.

### DE NECESSARIIS DOTIBUS SPIRITUALIS DIRECTORIS.

## Caput I.

*De requisitis in confessario generatim.*

## Caput II.

*De virtutibus theologicis.*



## APPENDIX.

### DE GRATIIS EXTRAORDINARIIS.

# INTRODUCTIO.

## §. 508.

### Asceseos notio et necessitas.

1. Theologia moralis sua quasi sponte in duas partes abit, Ethicam nempe et Ascesim; illius est nostra nobis officia solide atque legitimo ordine proponere; hujus vero methodum docere, qua tum nos tum alios ad genuinam virtutem, seu ad perfectionem christianam evehere possimus. §. 18. Unde christiana Ascesis non est mera congeries subsidiorum ad virtutem conducentium, sed est institutio methodica, qua ratione in hominibus de peccati servitute liberatis christianae perfectionis studium succendi, nutriri ac dirigi debeat.

Nomen Asceseos jam antiquis philosophis sat usitatum fuit, atque ex etymologia *disciplinam exercitationis* designat. Vid. Polyb. l. 6. c. 59., Antonin. ad se ipsum l. 1. c. 7., Arrian. etc. Inter Christianos illi praecipue *Ascetae* dicebantur, qui relictis negotiis saecularibus se totos studio sublimioris perfectionis dederant. Contra, quae ad corroborandum corpus instituebantur, exercitia *gymnastica* audiebant, quamvis etiam hoc nomen hinc inde ad studium pietatis transferretur, e. g. I. Tim. 4, 7.

2. Quare facile perspicitur, quam indivulse Ascesis Ethicae cohaereat; scilicet Ethica supremum honestatis principium exponit, et quaecunque exinde hominis officia infert; Ascesis vero nos instruit, qua methodo principium

istud in succum et sanguinem converti, ac officiis nostris undequaque satisfieri oporteat; vel si mavis, Ethica omnia ex amore DEI depromit ac repetit; Ascesis vero quoscunque hominis actus huc dirigens in eundem amorem revertitur.

3. Sunt nihilominus, quibus jam ipsa mentio Asceseos stomachum movet, eoquod, nescio quid monastici et obsoleti sub illa odorentur; vel etiam abusus et ineptias accusant, quales, prout inquiunt, in libris asceticis reperiri solent. Verum saepenumero saltem taedium istud nonnisi ex fastidio ipsius religionis descendit, seu ex antipathia, qua sensus terrester Evangelium dedignatur. Et sit etiam, hanc disciplinam non ab omnibus semper sat sobrie pertractatam fuisse; quis tamen obinde Ascesim ipsam contemnendam ducet? Si enim institutiones, quibus ad reliqua vitae negotia informamur, utiles censemus; quanto magis hanc, quae immediate negotium ex omnibus absque comparatione summum exponit, atque viam demonstrat, qua itur ad patriam! Praesertim sacerdoti nihil prius et antiquius esse debebit, quam methodum nosse, qua tum semet ipsum ad majorem semper perfectionem urgere, tum vero animas sibi concreditas rite dirigere possit, ut inter tot tantaque rerum discrimina illarum tum infirmitati tum ignaviae mederi, novos illis identidem animos addere, earundem gressus in virtutis semita firmare, illasque pedetentim ad congruam perfectionem promovere sciat. Alioquin „*caecus si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.*“ Matth. 15, 14.

## §. 509.

### In quo perfectio christiana consistat.

1. Dum vero Ascesim institutionem ad perfectionem christianam dixi, prae reliquis explanandum erit, in quo

vera hominis christiani perfectio consistat. Equidem iterato hucusque, praesertim §§. 12. et seq., 44. et seq. et 88. ostensum fuit, omnem virtutem, unde et perfectionem nostram in eo residere, ut diligamus DEUM ex omnibus viribus, et proximum sicut nos ipsos; juvat tamen eandem causam denuo perorare, ne quid praesenti Ascesi de sua integritate desit.

2. Itaque, prout S. Thomas Aq. argumentatur, unamquamque rem in suo genere *perfectam* dicimus, ubi finem suum plene assequitur adeo, ut nihil in illa desideretur; atqui fine nostro ultimo, qui est DEUS ipse, nonnisi *per charitatem* potiri licet; ergo eadem haec charitas veram quoque hominis perfectionem constituit. Scilicet „*qui manet in charitate, in DEO manet, et DEUS in eo.*“ I. Joann. 4, 16. Vel ut I. Cor. 6, 17. dicitur: „*Qui adhaeret Domino, unus spiritus est.*“ Hinc idem Apostolus charitatem *plenitudinem legis*, *atque vinculum perfectionis* vocat. Rom. 13, 10. et Coloss. 3, 14. Quodsi haec tibi minus perspicua videantur, dic, quaeso, quid demum illi deesse queat, qui DEO per charitatem totus unitus ipso, bono utique infinito, fruitur? Contra, quid alia quaecunque proderunt, si charitatem non habueris? I. Cor. 13, 1. seq. „*Bonorum summa nobis DEUS est; nec infra manendum, nec ultra quaerendum; alterum est frivolum, alterum nullum.*“ S. August. in Ps. 121. „*Quantum in te crescit amor, tantum in te crescet pulchritudo; quia ipsa charitas est animae pulchritudo.*“ Idem in ep. Joann. Pari modo S. Bernardus ait: „*Quantitas animae aestimatur de mensura charitatis, quam habet; ut quae multum habet charitatis, magna sit; quae parum, parva; quae nihil, nihil.*“ Serm. 27. in Cant. Taceo alia Ss. Patrum dicta, quippe cum neminem latere possit, illos unanimiter veram hominis perfectionem in perfecta chari-

tate constituere. Idipsum omnes solidi, et ab Ecclesia approbati scriptores posteriorum temporum sentiunt, et quamvis, dum perfectionem describunt, diversis fors formulis utantur, non tamen re, sed nonnisi verbis discrepant.

3. Ast non qualicunque, sed illi tantum charitati principalis haec dignitas debetur, quae *spiritu et veritate* constat, seu quae rationalis simul et efficax est. „*Probatio enim dilectionis exhibitio est operis. Nam qui adhuc per illicita desideria diffluit, profecto DEUM non amat, quia ei in sua voluntate contradicit.*" S. Greg. hom. 30. in Evang. Et quidem generalis contestatio hujus erga DEUM amoris est plena conformitas nostrae voluntatis cum divina, ut nunquam non velimus, *quae* et *quia* DEO sunt placita.

4. Tandem certum omnino et indubitatum est, perfectionem completam et omnibus numeris absolutam in hac vita non dari. Fuit somnium delirantium pseudomysticorum, „*hominem in praesenti vita ad eum perfectionis gradum pervenire posse, ut gratia animae facultates submergat, nec possit omnino vel progredi vel regredi.*" Similem errorem Beguardorum jam dudum a concilio Viennensi damnatum fuisse legimus. Nimirum quamdiu peregrinamur a Domino, in via sumus, et non tantum ad ipsum, qui est sanctitas absoluta, magis magisque accedere, sed etiam in transversum agi possumus, vel omnino in praeceps ruere. Hinc etiam Conc. Trid. definit: „*Siquis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali DEI privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*" Sess. VI. can. 23. Quapropter dum de *charitatis culmine* quaeritur, juxta doctorem angelicum triplex ejusdem perfectio distingui potest;

primum, et quidquid cogitaveris, infinities superiorem locum illa charitas tenet, qua *DEUS ipse se diligit.* Tantus quippe est DEUS, ut nonnisi *ipse semel* condigne amare queat. Huic, per intervalla utique immensa prorsus, charitas beatissimorum illorum spirituum succedit, qui DEUM facie ad faciem contemplantes ita in illum abripiuntur, ut quamvis voluntarie eum diligant, ipsum tamen pro sua quisque facultate non diligere jam non possint. Tertio demum loco charitas recensenda venit, cujus nos in hac terrestri peregrinatione capaces sumus. Atque haec *perfecta* dicitur, siquis ab omni DEI offensa sincere abhorrens, atque ad faciendam omnem justitiam paratus semper et alacer, semet ad perfectiora in dies extendit et urget, dicens cum Apostolo: „*Non quod jam acceperim, aut jam perfectus sim; sequor autem, si quomodo comprehendam, in quo et comprehensus sum a Christo JESU etc.*“ Philipp. 3, 12. seq. Paucis, ut cum S. Bernardo loquar, in hac vita *indefessum proficiendi studium, et jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* Ep. 253.

## §. 510.

### Continuatio.

1. Vera igitur perfectio hominis in perfecta charitate consistit, vel potius in serio constantique studio ad perfectam charitatem pertingendi. Atque eadem haec charitas, prout per decursum iterato ostensum fuit, quascunque virtutes complectitur, idque sub duplici ratione: *a)* Qua media et adminicula, quibus quis ad perfectam charitatem contendit; et *b)* qua exhibitiones, quibus flamma isthaec divinitus succensa quaquaversus se prodit et exserit; nam „*charitas patiens est, benigna est etc.*“ I. Cor. 13, 4. et seq.

2. Quare etiam hujusmodi *actus*, sive consulti tantum, sive praecepti habeantur, duplicem respectum subeunt, prout nempe vel nonnisi ad veram perfectionem *acquirendam comparati sunt;* vel charitatem in animo jamjam dominantem *ostendunt et exhibent*, atque ejusdem quasi *partes* constituunt. Sub priori ratione scholastici hujus generis bona opera *perfectionis instrumenta* dicunt, quatenus nempe non ipsam perfectionem, sed ejusdem subsidia, non finem, sed media ad finem feliciter pertingendi constituunt. Quem in finem S. Hieron. ad Celantiam scribit: „*Cave, ne si jejunare aut abstinere coeperis, putes, te esse sanctam; haec enim virtus adjumentum est, non perfectio sanctitatis.*"

3. Hinc multum errant, qui perfectionis essentiam in meris exercitiis pietatis vel mortificationis reponunt, finem cum subsidiis praepostere commiscentes. Neque error iste adeo infrequens invenitur; cum pronum sit, ut homines vel parum instructi, vel sibi justo plus indulgentes ideam perfectionis ad suum quisque genium accommodent. Unde, prout S. Franciscus Sales. disserit, pro diversa hominum indole quidam multum se profecisse opinantur, si multum ac frequenter jejunent; alii, si plurimas quotidie preces et orationes decurrant; alii, si largas eleemosynas erogare consueverint etc., cum tamen in exequendis suis officiis desides, in sensu suo abundantes, queruli, pervicaces, incompositi, invidi, atque infrenatae linguae esse soleant. Tales igitur non solidam pietatem, sed inanem illius umbram prensant, nec mirum, si eosdem, qui sibi ad tertium coelum sublati videbantur, ingruente graviori tentatione lacrimabiliter corruere, et ad ima praecipitari conspicimus.

4. Etiamsi vero charitas, qua perficimur, una semper eademque sit, pro diversa tamen conditione hominum diversas quoque formas prae se fert: aliter e. g. in personis

DEO singulariter dicatis, aliter in saecularibus, aliter in solutis, et aliter in conjugatis se exhibet; immo ipsis quoque viribus et officiis singulorum semet attemperare solet. Sicut in humano corpore alia est perfectio manus, alia pedis, alia oculi, alia auris; sic etiam in societate sacra et profana, quippe qui *omnes unum corpus*, *et membra de membro sumus*. I. Cor. 12, 27. Scilicet „*divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus; et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus; et divisiones operationum sunt, idem vero DEUS, qui operatur omnia in omnibus.*“ Ibid. v. 4. seq. Falluntur ergo, qui studium perfectionis solis religiosis et viris ecclesiasticis assignantes illud cum vita vel forensi vel militari, aut cum statu conjugali componi non posse autumant; etenim unusquisque in ea conditione, ad quam vocatus fuit, ad perfectam DEI ac proximi charitatem provocatur, ut sincere efficaciterque velit, *quae*, et *quia* DEUS eadem pro diversis rerum adjunctis expetit; quod ubi quis assecutus fuerit, in suo genere perfectus haberi debet. Revera, dummodo suapte indole honestati haud repugnet, nulla vivendi conditio datur, quae non pulcherrimis perfectae conversationis exemplis resplendeat, prout ex historia sacra abunde patet. Studium christianae perfectionis, siquidem genuinum et sincerum sit, nullis certe honestis relationibus opponitur, sed easdem potius vinculo sacratiori nectit ac roborat, et si quando legitimae alicujus vocationi adversetur, haud dubie spurium censendum erit. Vid. Philoth. S. Franc. Sal. P. I. c. 3.

## §. 511.

### Diversitas illorum, qui ad perfectionem contendunt.

1. Equidem in coelesti hac scala, qua nos ad sanctuarium ipsius Divinitatis ascendere oportet, innumeri plane

gradus dantur; pro faciliori tamen usu doctores de perfectione tractantes triplicem potissimum statum distinguunt, scilicet: „*Incipientium*, *proficientium et perfectorum*,“ cum, ut S. Greg. M. inquit, „*unaquaeque virtus quibusdam gradibus augeri debeat. Aliud namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio.*“

2. Diversis hisce statibus triplicem quoque viam assignant, *purgativam, illuminativam* et *unitivam.*

3. Itaque *incipientes*, seu in *via purgativa* constitutos dicunt, qui ad DEUM quidem conversi, et cum ipso reconciliati vehementes adhuc naturae recalcitrantis motus experiuntur; unde quanta illorum ad malum proclivitas, tanta quoque in virtutis exercitio difficultas esse solet. Atque hinc omnis fere illorum labor in eo versatur, ut mentem a peccatis depurgare, vitiosos habitus evellere, et tumultuantes appetitus, quibus divexantur, moderari studeant.

4. *Viam illuminativam* tenent, et exinde *proficientes* dicuntur, qui primum virtutis tyrocinium jam egressi, et in bono confirmati naevos etiam leviores emendare satagunt, atque animo virili non minus, quam alacri in exercitio solidarum virtutum occupantur.

5. Denique *status perfectorum* seu *via unitiva* iis attribuitur, qui, quantum in hac vita conceditur, per continuatas victorias naturam ita gratiae subegerunt, ut iisdem cum Apostolo fateri liceat: „*Vivo autem, jam non ego; vivit vero in me Christus etc.*“ Gal. 2, 20. Plura de unoquoque horum statuum inferius in Ascesi applicata occurrent, dum hoc loco solos illorum terminos explicandos censui.

6. Alia divisio est, qua vitam illorum, qui perfectioni student, vel *activam* vel *contemplativam*, atque pro diversitate charismatum, quibus Spiritus sanctus mentes rite

dispositas exornare solet, *ordinariam* vel *extraordinariam* nuncupant.

## §. 512.

### Dispositio praesentis operis.

1. Praesens scriptio aliud non intendit, quam viam vel methodum ad *perfectionem ordinariam* paucis describere, praesertim ad usum confessariorum, ut animas sibi commissas rite dirigere ac promovere queant. Quare prout Ethicam, ita et Ascesim in *generalem* et *applicatam* dispesco.

2. Prima itaque pars, seu Ascesis generalis docebit, qua ratione charitas universim in mente hominis nasci, nutriri ac perfici debeat; pars vero altera, seu applicata principia stabilita pro diverso animarum statu in usum convertet.

3. Quod mysteria *perfectionis sublimioris* atque divinae contemplationis attinet, nonnisi per modum appendicis, et ea tantum afferam, quae nulli sacerdoti ad confessiones deputato nescire licet.

# PARS I.

## ASCESIS GENERALIS.

### §. 513.

Nexus rerum.

Virtutem in moderna hominis conditione iterato *amorem laboriosum* dixi; *regnum* quippe *coelorum vim patitur,* et *violenti rapiunt illud.* Matth. 11, 12. Unde praesens negotium, seu studium in virtute proficiendi sub imagine perdurantis anticipitisque pugnae exhiberi solet, Scriptura ipsa attestante: „*Militia est vita hominis super terram.*“ Job 7, 1. Nec coronabitur, nisi qui legitime certaverit. II. Tim. 2, 5. „*Stadium est haec vita mortalibus; hic contendimus, ut alibi coronemur. Magnis inimicorum circumdamur agminibus; hostium plena sunt omnia.*“ S. Hier. ad Eustoch. Ut ergo bellum atrox adeo et diuturnum strenue decertemus, sequentia potissimum nosse oportet: *a)* Quae sint generatim praeviae conditiones, ut certam et perennem denique victoriam exspectare liceat; *b)* quae sint adhibenda subsidia, ne pugnis imminentibus succumbamus; *c)* demum quae in ipso conflictu nobis incumbant.

## SECTIO I.

### PRAEVIAE CONDITIONES AD FELICITER DECERTANDUM.

### Caput I.

*Diffidentia de semet ipso, et invicta fiducia erga DEUM.*

#### §. 514.

Fundamentum omnis virtutis.

1. Inprimis igitur ea digerenda videntur, quae non tam singularia subsidia, sed potius praevias omnis virtutis conditiones ac totius moralis aedificii fundamenta constituunt. Atque inter has conditiones praeprimis humilitas, seu justa de semet ipso diffidentia eminet, quam merito totius perfectionis basim dixeris. „*Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis.*" S. Aug. de verb. Dom. serm. 10. Idipsum, ut de aliis taceam, S. Cyprianus pronuntiat: „*Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas; nec in coelo stare potuit superba sublimitas.*" In Nat. Dom. Ratio est in promtu; etenim, praeterquam quod toti quanti a DEO pendeamus, et ipse solus omnium bonorum fons sit; post inductam naturae corruptionem tanta est infirmitas nostra, ut absque divino adjutorio neque opus aliquod salutare in-

cipere, neque perficere, nec in accepta justitia perseverare possimus. „*Non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI.*“ Rom. 9, 16. Vid. Trid. Sess. VI. can. 3. et 22. „*Deus est, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.*“ Philipp. 2, 13. Conf. Matth. 11, 27., Joann. 6, 44., ibid. 15, 5., I. Cor. 4, 7., II. Cor. 3, 5.

2. Atqui „*DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam,*“ I. Petr. 5, 5., quippe qui gloriam suam non dabit alteri. Isai. 48, 11. Quamobrem ne auxiliis necessariis destituamur, hanc nostram inopiam et sincere agnoscere, et candide fateri, atque salutem nostram cum timore et tremore operari jubemur; non quod propria molimina, vel reliqua virtutis subsidia omitti possint, sed ut de nobismet ipsis penitus diffidentes omnem nostram sufficientiam nonnisi a DEO repetamus. II. Cor. 3, 5. Etiamsi ergo tibi in virtute diu multumque exercitatus, imo ad insignem quoque sanctitatem evectus videaris, scito tamen, et persuasissimus esto, te ex tuis duntaxat viribus, et sine speciali DEI auxilio prorsus insufficientem esse, ut ad bravium supernae vocationis feliciter pertingas.

3. Et tamen nimium quantum propendemus, ut de nobismet ipsis praesumentes propriis viribus innitamur, ac si unusquisque nostrum salutis suae ipsusmet auctor esse posset. Hinc deplorandus ille orationis neglectus, aliorumque, quibus divinae gratiae comparantur, exercitiorum contemtus; immo non desunt, qui de hac animi evanescentis elatione tamquam de summa philosophia gloriantur; cumque capitalis hic error, si non in theoria, saltem in praxi magis semper magisque crebrescat, quid mirum, si et morum corruptionem, praesertim effrenem luxuriam indies auctam cernimus? „*Et videbunt justi, et timebunt, et supra eum ridebunt, et dicent: Ecce homo, qui non*

*posuit DEUM adjutorem suum; sed speravit in multitudine divitiarum suarum, et praevaluit in vanitate sua.*" Ps. 51, 7. et seq.

## §. 515.

### Necessitas invictae fiduciae erga DEUM.

1. Prout vero nihil boni a nobismet ipsis, ita vicissim omnia a DEO, et quidem cum fiducia invicta prorsus exspectare jubemur; sola enim diffidentia de nobis, quae solatio spei theologicae destitueretur, aliud non foret, quam abjectio animi, certissimam stragem involvens. Brevitatis causa ad ea provoco, quae §§. 179. et seq. de spe christiana disserui. Quamvis igitur in temet ipso aliud non deprehendas, nisi peccata et infirmitates; spes tamen divinis promissis innixa omnem tibi fluctuationem gravissime vetat. Est *enim impossibile mentiri DEUM.* Hebr. 6, 18. Et certe omnia poteris in eo, qui te confortat. Philipp. 4, 13. Dic ergo animae tuae: „*Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me praelium, in hoc ego sperabo.*" Ps. 26, 1. et seq.

2. Atque sic dum diffidentiam de nobis cum invicta erga DEUM fiducia conjungimus, navicula nostra et ventis et saburra gaudet; *spe* nimirum, qua ad portum aeternae salutis secure provehimur, et *timore*, quo nos propriae infirmitatis intuitu identidem demitti, atque ab omni levitate cohiberi oportet. „*Eja ergo fratres,*" exclamat S. Aug. de hac erga DEUM fiducia tractans, „*hanc amate, hanc tenete, non tamen sine timore; quia qui sperat et non timet, negligens est; qui autem timet et non sperat, depressus est, et descendit in profundum, quasi lapis.*" Serm. 10. ad fratr. in eremo.

## Caput II.

*Desiderium in virtute proficiendi.*

### §. 516.

**Ejusdem necessitas.**

1. Spes, qua omnia bona a DEO exspectamus, propriam activitatem hominis neutiquam suspendit, sed provocat potius, et expeditam reddit. Pulcherrime scribit S. Bernardus: „*Si DEUS tria haec, hoc est, bonum cogitare, velle, et perficere operatur in nobis; primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit.*“ De gratia et lib. arb. c. 14.

2. Eorum vero, quae ex parte nostra requiruntur, primum absque dubio est, ut praeventi et excitati per divinam gratiam firmo christianae perfectionis desiderio teneamur. Scilicet, ut S. Aug. inquit, „*haec est vita nostra, ut desiderando exerceamur.*“ Et sane, quinam in via perfectionis progressus ab eo sperari possunt, qui illam haud desiderat, vel ejusdem plane immemor vivit? Prout nemo artis cujusdam perfectionem assequi potest, nisi ardenter efficaciterque illam desideret; ita et perfecta virtus iis tantum conceditur, qui eandem sincere appetunt. „*Beati, qui esuriunt et sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur.*“ Matth. 5, 6.

3. Unde, cum omnes omnino provocentur, ut *sint perfecti, sicut et Pater noster coelestis perfectus est;* hoc quoque proficiendi studium ad omnes extendi debet. Quis adeo desipiet, ut arbitretur, ad clericos tantum, non item ad laicos pertinere, ut DEUM ex toto corde atque ex omnibus viribus diligant? Etiam Apostoli absque ulla distinctione omnes ad perfectiora semper sectanda hor-

tantur. E. g. I. Cor. 1, 10., Eph. 6, 13., Jac. 1. 4., I. Petr. 1, 16., Apoc. 22, 11.

Utique, prout jam §. 510. dictum est, perfectio, ad quam religiosi adspirare tenentur, exercitia multum diversa complectitur, quam quae laicis incumbunt. Qui enim per professionem religiosam vota solemnia emisit, seque certis vivendi regulis subjecit, absque dubio ad plurima obligatur, a quibus laici immunes sunt. Insuper negari nequit, quin religiosi conatu longe majori ad perfectionem contendere debeant, quippe qui DEO singulariter se devoverunt, ac tot tantisque virtutis subsidiis abundant. Unde juxta sententiam theologorum sat communem religiosi generatim sub gravi obstringuntur, non quidem, ut perfecti sint, attamen ut secundum statuta ordinis sui ad perfectionem tendant.

4. Etiamsi concedatur, illos, qui *peccata gravia* tantum declinare student, leviorum vero, et majoris perfectionis curam negligunt, propterea gratia sanctificante nondum excidere; quis tamen diffiteri ausit, quin tales in magno salutis periculo versentur? Praeterquam enim quod sensus pietatis, nisi identidem nutriatur, tepescere ac extingui soleat, peccata leviora jam suapte indole ad graviora disponunt. §. 119. Quae igitur de illis timenda non sunt, qui repudiato proficiendi consilio in omnibus sibi indulgere consueverunt, id unum attendentes, ne fors per lethalem noxam damnationem aeternam incurrant! Quomodo, qui tam remisse vivunt, in pugnis gravioribus subsistent, praesertim cum ob neglectum orationis et Sacramentorum efficacissimae illis gratiae subtrahantur? Sane cum etiam illi luctam perarduam sentiant, qui his subsidiis utuntur; quid de ejusmodi tepidis exspectandum erit, seu si *in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* Quapropter Ss. Patres aliique pii scriptores concorditer asserunt, nolle progredi in via perfectionis idem esse, ac regredi. „*In*

*hoc quippe mundo humana anima quasi more navis est contra ictum fluminis conscendentis; uno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur.*" S. Greg. Pastor. P. III. c. 35.

Quodsi tales non solum ab omni perfectionis studio abstinent, sed illud etiam *formaliter* contemnunt, eos, quos in ejusmodi exercitiis sedulos vident, cavillantur etc.; utique hic ipse contemtus noxam gravem involvit. Verum etiamsi haec absint, luridis hujus generis hominibus prae reliquis *peccata ignorantiae et inadvertentiae* infesta esse solent. Huc sane tremenda illa comminatio spectat: „*Quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo. Quia dicis: Quod dives sum et locupletatus, et nullius egeo; et nescis, quia tu es miser, et miserabilis, et pauper, et coecus, et nudus.*" Apoc. 3, 16. et seq.

## §. 517.

Quale desiderium istud esse debeat.

1. Atque sub hoc proficiendi desiderio non inanem aliquam velleitatem, sed *firmum animi decretum* intelligo; id quod tum ex ipsa rei natura, tum ex doctrina revelata satis superque constat. Nam regnum coelorum vim patitur; unde Luc. 13, 24. dicitur: „*Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt;*" tales scilicet, qui *non toti* volunt. Eodem modo Apostolus praesentem causam describit tum ex comparatione cum publicis ludis, qui tunc temporis instituebantur, tum proprium quoque exemplum allegans. I. Cor. 9, 24. et seq. Praesertim illae expressiones perpendi merentur, quibus Philipp. 3, 13. et seq. utitur: „*Quae quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis DEI in Christo JESU.*"

2. Alia desiderii hujus conditio est, ut nunquam interrumpatur. Potius conscenso uno perfectionis vertice mox ad alium eniti oportet. Etenim quamdiu in via sumus, omnis nostra perfectio aliud non est, quam *indefessum studium, et jugis conatus* ad illam. §. 509. „*Non proficere sine dubio deficere est. Nemo proinde dicat: Satis est; sic volo manere; sufficit mihi esse, sicut heri et nudius tertius.*" S. Bern. ep. 341. Tum vero idem S. Doctor ad exempla illorum provocat, qui mundo dediti nullibi quiescunt. „*Quem ambitiosum vidimus aliquando contentum, adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Quem eorum, qui avaritiae serviunt, aut amatores sunt voluptatum, seu vanas hominum sectantur laudes? Nonne et ipsorum insatiabilia desideria arguunt nos negligentiae et tepiditatis? Pudeat certe, spiritualium nos bonorum minus cupidos inveniri.*" Ibid.

Absit vero, ut sententiae illorum subscribamus, qui etiam post mortem, ubi in termino consistemus, *processum in infinitum* statuunt, ita ut hac terra derelicta, prout nonnulli fingunt, per alios planetas transmigraturi, atque sine fine ad majorem semper tum intellectus tum voluntatis perfectionem elevandi simus. Ut de perversis consectariis hujus doctrinae taceam, divina revelatio praesentem vitam ceu tempus seminandi, futuram vero ceu locum messis atque aeternae retributionis exhibet. „*Quae enim seminaverit homo, haec et metet.*" Gal. 6, 8. Hinc, ubi „*terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvetur, omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.*" II. Cor. 5, 1. et seq. Atque „*si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.*" Eccle. 11, 3. Speciatim de iis, qui in Domino moriuntur, dicitur: „*Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.*" Apoc. 14, 13.

3. Quapropter „*qui justus est, justificetur adhuc, et sanctus sanctificetur adhuc.*“ Apoc. 22, 11. Hunc in finem voluntati fors languescenti omni die novas faces subjicere, atque illud diligenter nos servare oportet, quod in libello de imit. Christ. commendatur: „*Omni die renovare debemus propositum nostrum, et ad fervorem nos excitare, quasi hodie primum ad conversionem venissemus, atque dicere: Adjuva me Domine DEUS in bono proposito, et sancto servitio tuo; et da mihi nunc hodie perfecte incipere, quia nihil est, quod hactenus feci. Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri erit; et multa diligentia opus est bene proficere volenti. Quodsi fortiter proponens saepe deficit, quid ille, qui raro, aut minus fixe aliquid proponit?*“ L. 1. c. 19. Atque idcirco semper meminisse juvat, quantum a vera vitae sanctitate adhuc distemus. „*Semper tibi displiceat, quod es, si vis pervenire ad id, quod non es. Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris: Sufficit, periisti.*“ S. Aug. de verb. Apost. serm. 15.

4. „*Sed numquid titubat mens ad conspectum montis tam alti et acclivis adeo? Ast velis, nolis, in hunc enitendum tibi est, nisi molestias longe graviores in poenam timiditatis tuae subire velis. Aude aliquid! nam vis immensa urget. Certum tibi eventum spondere possum, si absque omni titubatione in DEO confidas; nam invicte sperantibus DEUM certissime adfuturum esse, spes theologica plenissime persuadet. Scriptum quippe est: Non delinquent omnes, qui sperant in te.*“ Ps. 33, 23. „*Et si frequentissime conatus tui deficiant; pugnam tamen nunquam non instaura. Quamdiu durat conatus, tamdiu clanculo, te omnia contraria opinante, durant progressus tui. Et aliquando ingenti laetitia eo te provectum cernes, quo te perventurum esse,*

*nunquam sperasses. Quantu vero exultatio vel in eo solo tibi erit, si instante morte in mero labore, ac contentione pro DEO exantlata totam vitam a te exactam fuisse, recordaberis! Etsi fors aliquid vel extremo illo tempore deesse videatur, nihil id te perturbet; nam, ut S. Aug. scribit, bonae spei homo est, si eum sic proficientem dies ultimus vitae hujus invenerit, ut adjiciantur ei, quae proficienti defuerunt; et perficiendus, quam puniendus, potius judicetur.*" Ita Oberrauch.

## Caput III.

*Necessitas spiritualis directoris.*

### §. 518.

**Momenta hujus doctrinae.**

1. Ad praevias vitae perfectioris conditiones omnino spectat, ut, qui DEO servire coepit, bono peritoque spiritus moderatore utatur. Quis enim iter ignotum sine duce instituat? Quis difficillimam artem discat sine magistro? Equidem „*unus est magister noster, nos autem omnes fratres sumus, et Spiritus ipse adjuvat infirmitatem nostram.*" Matth. 23, 8. et Rom. 8, 26. Attamen DEUS res nostras ita disposuit, ut ipse quidem, ast per idoneos ministros nos dirigat. Hinc etiamsi Christus Saulo immediate spectandum se dederit, ipsum tamen ad Ananiam misit. „*Vade,*" inquit, *ad Ananiam, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere.*" Act. 9, 6. Quare prout in aliis, sic in praesenti quoque negotio tum demum subsidia extraordinaria exspectare licet, ubi ordinaria desunt; qui vero spreto sacro ministerio immediatum Numinis interventum praestolatur, DEUM non colit, sed tentat potius.

2. Omnium minime in re tam ardua et subtili aliquis propriae suae perspicaciae innitatur. Etenim quis nescit, quot in causa propria praestigiae connatae philautiae, turbidorum affectuum febricitantisque phantasiae dentur? Quam difficulter igitur, qui sibimet ipse dux esse praesumit, viam semper mediam tenebit, scyllam pariter et charybdim declinans! Contra quam pronum, ut, dum motus naturae ab iis, qui a gratia veniunt, discernere non valet, pro virtute fallax illius simulacrum complectatur! Ipsa opera pietatis vel poenitentiae, ubi sine debita discretione exercentur, hominem in praeceps deturbare possunt. Quot in exitium traxit imprudens fervor! Quoties accidit, ut tales, qui proprio nitebantur ingenio, tempore spiritualis ariditatis fracti, omnem proficiendi animum desponderint abjecerintque; vel vice versa, ut internas consolationes experti coeleste hoc manna in pabulum depravatae naturae converterint!

3. Accedunt fallaciae hostis infernalis, qui, ubi reliquae technae deficiunt, semet in ipsum adeo *Angelum lucis* transfigurare solet, II. Cor. 11, 14., ut scilicet eos, qui suggestiones aperte improbas respuunt, saltem sub specie boni fallat. Hinc omnes pii scriptores consentiunt, iis, qui vitam perfectiorem meditantur, spirituali directore opus esse, qui tum naturae tum daemonis fraudes detegere, viam ubique regiam monstrare, defatigatum reficere, et si fors lapsus fueris, jacentem elevare possit.

## §. 519.

### Qualis director eligendus sit.

1. Paucis quidem, pulcherrime tamen Card. Bona directorem spiritualem delineat: „*Sit scilicet vir fidelis et sapiens, qui velit et possit tibi prodesse; cujus reverearis occursum, non reformides, qui non castiget erran-*

*tem, sed emendet; cujus vita plus oculis, quam auribus probetur.*" Quia tamen de hisce dotibus in Ascesi applicata dicturus sum, ipsis hoc loco non immorabor. Tu juxta consilium S. Franc. Sal. DEUM ferventissime roga, ut bonum tibi ducem submittat; nec dubites, quin preces tuae prosperum sint effectum habiturae.

2. Similiter vero DEUM precare, ut, quae ad salutem tuam expediunt, ipsius ministerio tibi patefacere dignetur. Est tentatio sat frequens, simul et periculosissima, qua poenitentes ducem suum in suspicionem imperitiae vel tetricae indolis vocare, sicque omni in illum fiducia destitui solent. Quare utcunque tibi sapiens videaris, nullibi tamen securius incedes, quam per viam humilis obedientiae, quousque nempe nihil praecipitur, quod vel rectae rationi, vel veritati revelatae repugnet.

## §. 520.

### Conditiones ex parte clientis.

1. Ut vero spiritualis director munere suo rite defungi possit, ex parte tua tria potissimum requiruntur; nimirum *fiducia*, simplex *animi candor* et humilis *subjectio.* Sit tibi instar Angeli ad salutem tuam a DEO tibi submissi, ita tamen, ut non tam ipsi, vel ejus scientiae humanae confidas, quam potius DEO, cujus ministrum agit, quique illo ad profectum tuum utetur. Hinc, ubi ducem fidelem inveneris, ipsi constanter quidem inhaerere, nec alios quaerere oportet; quia tamen omnis tua fiducia in DEUM ipsum desinit, neque nimium tristari debes, si tibi quo demum cunque casu subtrahatur; DEUS quippe suos nunquam *orphanos* relinquet.

2. Atque hanc tuam fiduciam praecipue contestaberis, dum in omnibus cum illo aperte, candide atque sine fuco et dolo agis, quaecunque cordis penetralia eidem sincere

reserando. Quare non tantum lapsus et peccata graviora, sed etiam naevos minores, inordinatas affectiones et pugnas tuas, immo etiam bona, quae agis, vel siquid coelitus tibi immissum existimas, prudenti ejusdem discussioni committe, ut scilicet in omnibus tibi mederi, atque omnes tuos gressus dirigere queat. Praesertim unicuique commendari meretur, ut tentationes suas saltem graviores, utcunque impiae et erubescendae sint, patri suo spirituali humiliter detegat, tum ut ab illo modum pugnandi discat, tum ad infringendas hostis tartarei vires. Teste experientia, qui tentationes suas candide fatentur, earundem impetum mox fractum et imminutum sentiunt. Scilicet, prout Ss. Patres loquuntur, diabolus adinstar latronis eousque tantum in nobis tumultuari solet, donec manifestetur: „*Nemo insolentior latrone, quamdiu latitat; et nemo illo timidior, quando manifestatur; talis omnino diabolus est.*“ S. Greg. M.

3. Ast haec omnia frustranea forent, nisi duci spirituali te humiliter etiam subjiceres, ejusdem jussis promtum ubique morem gerendo. Hinc quicunque de christiana perfectione scripserunt, omni, quo possunt, modo obedientiam urgent, eamque non solum ceu efficacissimum subsidium, sed etiam qua totius *perfectionis compendium* efferunt. Praesertim lectu dignissima sunt, quae S. Theres. quavis occasione desuper affert. Ratio patet; etenim virtus nostra in plena conformitate nostrae voluntatis cum divina consistit, ut omnia velimus, quae DEO placent, et ideo duntaxat, quia ipsi sunt placita. Atqui dum nonnisi nostra lumina, et propriam voluntatem sequimur, res est periculosissima, ne etiam non advertentes ex parte saltem ignem *alienum*, seu *profanum* afferamus. Contra quo magis nosmet directioni probi alicujus peritique viri subjicimus, eo etiam ab omni egoismi deceptione securiores erimus. Et

jam alias virtus hominis nullibi magis exercetur, quam dum *semet ipsum*, seu propriam voluntatem derelinquit.

Neminem tam inverecundum suspicor, ut, quae modo de obedientia dixi, in eum sensum detorqueat, ac si conscientiarum arbitri in quaecunque negotia sese intrudere, atque sub hoc obtentu tum in familiis tum in ipsa republica pro lubitu dominari possent. Qui sacro ministerio eousque abuteretur, rationem aeque ac revelationem sibi contrariam haberet, cum Christus ipse, de dividenda haereditate interpellatus, responderit: *„Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?“* Luc. 12, 14. Scilicet nonnisi de *directione spirituali* loquor. Et certe S. Ludovicus reipublicae nihil timendum duxit, dum paulo ante mortem, proprium exemplum allegans, filio et haeredi suo commendavit: *„Saepius peccata tua confitere. Confessarium tibi elige idoneum, qui probus sit et prudens, et qui, quae facienda et cavenda sunt, libere certoque tibi proponere possit.“*

## Caput IV.

### *De mentis tranquillitate.*

### §. 521.

#### Ejusdem necessitas.

1. Ad conditiones praevie requisitas, ut quis in virtute proficiat, denique *animum pacatum atque tranquillum* refero. Ast hoc nomine non ementitam illam securitatem intelligo, quam §. 113. ceu indicium profundae vitiositatis descripsi. Revera *„non est pax impiis,“* ut Isai. 48, 22. dicitur. Quodsi ergo homines improbi nihilominus tranquilli et per omnia sibi securi videntur, hoc aliud non est, nisi *torpor iners*, prout poëta inquit, *et mors imitata quietem.* Scilicet: *„Est via, quae videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem.“* Prov. 16, 25.

2. Itaque vera animi tranquillitas nonnisi illa vocari potest, quae ex firma fide, ex invicta fiducia et ex filiali erga DEUM charitate redundat. Per *fidem* nempe intellectus noster undequaque certus ac stabilis redditur; *spes menti nostrae* inter omnes tempestates immobilem ancoram praebet; *filialis* demum *charitatis* est nostram voluntatem divinae penitus conformare. Lubens quidem concedo, hanc animi pacem fructum potius esse christianae virtutis, quam praeviam conditionem; attamen, utcunque adhuc tyrones simus, ad illam pro modulo nostro eluctari conemur, ut scilicet inter quascunque rerum vicissitudines mentem nostram imperturbatam servare studeamus, *mentem*, inquam; nam sensus *inferiores* haudquaquam ex nostro semper arbitrio pendent.

3. Quantum intersit, ut mens sui semper compos et placida servetur, neminem latere potest; quae enim pertimescenda non sunt, ubi illam vel gravi moerore submergi, vel vanis desideriis distendi patimur? Praeterquam quod hostis infernalis praecipue in aqua turbulenta desideratam praedam captat, ejusmodi perturbationes animum judicio, consilio et omni ad virtutem alacritate privant, orationem aliaque pietatis exercitia insipida reddunt; mens taliter agitata ad officia sibi incumbentia vel non attendit, vel eadem etiam directe aspernatur, et generatim nunquam infelicius pugnari solet, quam turbatis disruptisque ordinibus. Datur quidem *tristitia secundum DEUM, quae poenitentiam in salutem stabilem operatur*, II. Cor. 7, 10.; quae scilicet animum humilem, atque de admissis culpis sincere contritum reddit; ast quidquid hominem *dejectum, turbidum officiorumque pertaesum* facit, periculosissimis tentationibus accenseri debet. „*Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia.*“ Gal. 5, 22.

## §. 522.

### De ratione eam acquirendi.

1. Medium universale ad depellendam inordinatam tristitiam est oratio, suffragante ipso S. Apostolo: *„Tristatur aliquis vestrum? Oret.“* Jac. 5, 13. Praesertim devota exercitatio virtutum theologicarum huc facit, quibus viva tum fides tum fiducia in DEUM concipitur, atque mens nostra divinae voluntati ex integro se resignat. Imo ipsa fiducialis expositio, qua quis confessario, vel alteri pio amico turbas et aerumnas suas detegit, cor compressum plurimum allevare solet. Unde Eccle. 4, 10. dicitur: *„Vae soli, quia, cum ceciderit, non habet sublevantem se.“*

2. Tum vero refert, ex quo *fonte* tumultus isti et angores descendant, qui proinde, quantum permittitur, obturari debet. Sunt, qui ob peccata sua nondum remissa perturbantur, quibus adeo aliud non superest, nisi ut illa rite dispositi potestati clavium subjiciant. Alii ob indomitam phantasiam, ob renascentes identidem scrupulos etc. anxii semper suique impotentes haerent, de quibus alibi. Hinc inde mentis consternatio etiam ex tetrica indole, ex dispositione physica vel morbo aliquo aliisque causis externis oritur, qui propterea juxta S. Hieron. fomentis potius Hippocratis, quam nostris monitis indigent.

3. Ne fusior sim, regulas speciales ad tres potissimum classes refero: *a)* Quid cavendum, ubi rei cujusdam desiderio tenemur? *b)* Quid, dum malum aliquod amoliri nitimur? *c)* Quid demum, si illud declinare haud licet?

## §. 523.

### Continuatio.

1. Inprimis ergo ad servandam animi tranquillitatem non tantum desideria improba vel periculosa, sed etiam

illa cohiberi decet, quae, utcunque per se laudabilia videantur, a nostra tamen vocatione aliena nobisque concessa non sunt; e. g. dum quis certo jam officio vel statui mancipatus aliud vitae genus, vel exercitia ad se haud pertinentia exoptat. Haec namque vota inania sunt, et plurimum nocere solent. Tales quippe, dum phantasiam magis, quam rationem sequuntur, hoc ipso aliis semper intenti vivunt, quam quae ipsis agenda forent. Unde, praeterquam quod semet ipsi vesane torqueant, officia sua fastidire, quin et aperte negligere solent. Sed quamvis bonum, quod exequi desideras, statui tuo plane conveniens videatur, hunc tamen mentis impetum saepius retardare juvat, ne forte immodico foenori inhians sortem perdas. Rarum non est, ut misere delusi contra omnem exspectationem impulsu solius naturae agamur. Quare rectissime suadent, ut, quidquid majoris momenti desideramus, nonnisi ex consilio spiritualis directoris decernatur. Tum vero, qualiscunque eventus conatus nostros excipiat, tranquilli simus, scientes, DEUM non effectum, sed intentionem pensare. Generatim unusquisque sibi attendat, ut negotia sua diligenter quidem et debita cum industria, sine omni tamen mentis perturbatione exequatur. Et si quidem multa nobis incumbant, unumquodque non tumultuarie, sed tranquille, legitimo ordine, atque alterum post alterum fiat, ac si nunc nihil aliud nobis agendum esset.

2.. Pari modo dum malum aliquod vel a temet ipso vel ab aliis amoliri studes, mediis equidem, quae justa et opportuna videntur, prudenter utere, ita tamen, ut omnis animi perturbatio eliminetur, utque optatam salutem a divina magis benignitate, quam a temet ipso exspectes. Nihil etenim effectus desideratos magis impedire solet, quam praesumtio de semet ipso et mentis anxietas. Idem nobis accidit, quod aviculis, quae ubi semet retibus vel laqueis

captas sentiunt, quo majori agitatione sese extricare tendunt, eo magis implicantur.

3. Denique dum mala, quibus premimur, justis mediis arceri nequeunt, aliud non restat, quam ut eadem promto erectoque ad DEUM animo perferamus. Praecipua momenta, quibus religio nostra invictam inter omnes adversitates patientiam urget, §. 268. adduxi. Et sane, prout antiquorum philosophorum aliquis ait: „*Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo DEUS; ecce par DEO dignum, vir fortis cum adversitate compositus, et de se ipso et de omni calamitate triumphans.*" Seneca.

---

## SECTIO II.

### DE SUBSIDIIS AD FELICITER PUGNANDUM NECESSARIIS.

§. 524.

Principia generalia.

1. Hucusque praevias conditiones exposui, quibus deficientibus nulla perfectionis moralis spes nobis relinquitur. Inquiramus nunc, quibus subsidiis ad pugnas imminentes nos armare atque praemunire debeamus. „*Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se?*“ Luc. 14, 31.

2. Itaque *subsidium* moralis perfectionis dicimus, quidquid religionis officiorumque nostrorum tum cognitionem, tum memoriam promovet; quidquid animum ad majorem erga DEUM reverentiam et amorem disponit; quidquid demum majus animi robur supernasque gratias nobis suppeditat. Spuria vero sunt, si vel media prorsus inepta, vel ea, quae per se apta forent, perperam adhibentur. Hujusmodi essent exercitia plane superstitiosa, macerationes, quibus corpus non refrenatur, sed atteritur, repetita confessio generalis in hominibus scrupulosis etc. etc.

3. Primum ergo et maxime necessarium subsidium *gratia divina* constituit; imo quaecunque alia media eate-

nus solum vere prosunt, quatenus per gratiam fecundantur. I. Cor. 3, 7., II. Cor. 3, 5. Hinc quanta solertia et cura nobis esse debet, ut divina haec charismata largiter in nos depluant! Et quanta solicitudo, ne eadem in *vacuum recipiamus!*

4. Quantum ad subsidia singillatim spectata equidem ad illa tantum *stricte obligamur*, quae vel suapte indole moraliter necessaria, vel etiam per legem aliquam positivam praecepta sunt; quae vero nonnisi de *bono meliori* videntur, generatim ad sphaeram consiliorum spectant. Attamen frequenter accidit, ut, quod aliquibus mere consultum est, uni alterive attentis omnibus circumstantiis sit necessarium.

5. Similiter hoc loco recolenda veniunt, quae §§. 127. et seq. de peccandi occasione diximus. Eaedem regulae de quibuscunque aliis vitiorum incentivis obtinent, sive interna illa sint, sive externa. Non datur aliud effugium, nisi ut illa vel declines, vel ubi id non conceditur, ut iisdem te nonnisi rite armatum objicias.

## §. 525.

### Praecipuae subsidiorum species.

1. Dantur sane vix non innumera subsidia, quibus christianae virtutis studium tum excitari tum perfici potest. Et quidem si eorundem ambitum spectes, vel *generalia* dicuntur, vel *particularia;* illa virtutem in genere, haec vero virtutes singulas, e. g. castitatem, mansuetudinem etc. intendunt. Ratione originis vel jam ex lumine rationis, vel ex sanctione positiva descendunt. Alia divisio ex *animi facultatibus* depromitur, quibus perficiendis unumquodque immediate inservit. Denique, ut plura alia omittam, praeter subsidia ordinaria et consueta dantur etiam *extraordinaria,* qualia ex singulari Numinis impulsu ab aliquibus

Sanctis adhibita fuisse constat, quaeque, ubi talis impulsus deest, admiranda potius sunt, quam imitanda.

2. Praesens tractatus subsidia nonnisi *generalia* complectitur, eaque ad duas potissimum classes refert, ad *vigilantiam* nempe et *orationem*, juxta verba Redemtoris, quibus ait: *„Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.“* Matth. 26, 41.

---

## I.

## DE CHRISTIANA VIGILANTIA.

### §. 526.

#### Ejusdem partes.

1. Redemtor ac Salvator noster suos identidem ad vigilantiam hortabatur, et ne quis id solis Apostolis dictum existimet, diserte addidit: *„Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate!“* Marc. 13, 37. Non minus Apostoli in illa commendanda frequentes sunt, e. g. Act. 20, 31., I. Cor. 16, 13., Col. 4, 2., I. Thess. 5, 6., I. Petr. 5, 8.

2. Praecipuae partes hujus vigilantiae sunt:

*a)* Ut statum nostrum internum seu moralem probe perspectum teneamus;

*b)* ut pericula virtuti infesta caute declinare,

*c)* demum ut ad pugnas impendentes rite nos accingere annitamur.

3. Atque has partes, quas *moralem sui disquisitionem, moralem diaeteticam,* et *moralem* denique *gymnasticam* vocare juvat, paucis nunc exhibeamus.

---

# A.

## DISQUISITIO STATUS SUI MORALIS.

### §. 527.

Ejusdem necessitas et divisio.

1. Prima igitur christianae vigilantiae pars est, ut statum nostrum moralem perspectum tenere studeamus. Qui semet ipsum nescit, neque defectus suos corrigere, nec a periculis imminentibus sibi cavere potest juxta notum illud: „*Deprehendas te oportet, antequam emendes.*"

2. Hunc in finem frequens disquisitio sui, seu *examen conscientiae* requiritur. Non tantum Ss. Patres, sed ipsi etiam philosophi gentiles, Pythagoraei maxime et Stoici affirmant, nihil esse virtuti perficiendae utilius, quam severum conscientiae examen quotidie, vesperi praecipue, instituendum. Vid. Senec. L. 3. de ira, ubi inter alia de semet ipso loquitur: „*Utor hac potestate, et quotidie apud me cautam dico. Cum ablatum est lumen, totum diem mecum scrutor, facta et dicta mea remetior. Nihil mihi abscondo, nihil transeo etc.*" Et profecto cum vitiorum semina identidem in nobis progerminent, quid exspectandum, nisi etiam in dies resecentur? „*Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta. Parum est ergo semel putasse; saepe putandum est, imo, si fieri potest, semper.*" S. Bern. in cant. serm. 52. Similiter S. Aug. id ab exemplo navis illustrat, quae, nisi aqua, quae stillatim insederat, quotidie egeratur, demum submergitur. Accedit ratio divini judicii nobis imminentis, quod aliter mitigare non possumus, nisi dum nos ipsi dijudicamus. I. Cor. 11, 31.

3. Idipsum denique usus omnium piorum confirmat; imo ecclesiastici annales plurimos exhibent, qui unica per

diem discussione haud contenti, ne quid attentionem suam effugeret, bis terve, vel etiam singulis horis examen hoc instituerint. E. g. S. Ignat. de Loyol.

4. Est vero examen conscientiae vel *generale* vel *particulare*, cujus utramque speciem paucis nunc describam.

## §. 528.

### De generali conscientiae examine.

1. Sub generali conscientiae examine illa sui discussio intelligitur, qua quis a certo temporis intervallo universa tum sensa, tum dicta et facta sua, imo et omissiones ad legem divinam severe exigit.

2. Quia porro huic gravissimo negotio praecipue tempus vespertinum adaptatur, communiter sequentes ejusdem partes figunt:

*a)* Inprimis beneficia per diem accepta in memoriam revocentur, ut animus ad piam erga DEUM gratitudinem inardescat. „*Diligenter considera, quae tibi apponuntur, ut nulla videlicet DEI dona debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla.*“ S. Bern.

*b)* Alterum est, ut necessarium a DEO lumen petamus ad hiatus et defectus nostros rite perspiciendos. Etenim delicta quis intelligit, nisi DEUS ipse squamas ab oculis nostris deterserit?

*c)* Tum sedulo inquiratur, qualis per omnes diei horas conversatio nostra fuerit. „*Profer in medium codicem conscientiam tuam, et reminiscere peccata tua, siquid in verbo, seu in facto, seu in cogitatione peccasti.*“ S. Aug. Atque ut haec indagatio facilior procedat, meminisse juvat, ubinam, quibuscum et quibus in negotiis per id tempus versati simus. Ast non

tantum in ipsos actus, sed etiam in *rationes et motiva*, quibus determinari solemus, et insuper in *causas et radices*, nec non in *consectaria peccatorum* inquisitio fiat, prout jam §. 134. dixi. Praecipuam attentionem illae propensiones sibi vindicant, quae unicuique prae reliquis infestae sunt.

*d)* Quodsi aliquid bene a te gestum fuisse compereris, DEO humiles gratiae agantur, utpote in quem omne bonum refundi debet. Contra pro admissis culpis sincerus dolor concipiatur. Suadent etiam, ut praesertim si nonnihil gravius lapsus fueris, ipsusmet opus aliquod poenale subeas tum ad acuendum sensum doloris, tum ut relapsus caveatur.

*e)* Hisce firmum emendationis propositum succedat, utique non vagum et perfunctorie conceptum, sed ad omnes circumstantias rite determinatum et efficax. §. 137. Quod ut exsecutioni detur, pro viribus necessariam a DEO gratiam efflagitabis.

Praeclaram hujus examinis methodum proponit Franc. Neumayr: Vir apostolicus. P. I. c. 1. §. 3. De consc. tenera.

## §. 529.

### De examine particulari.

1. Examen particulare in eo consistit, ut quis in *defectum aliquem singularem* studiosius inquirat; unde easdem quoque partes complectitur, quas paulo ante recensui. Utilitatem hujus exercitii nullus plane inficiabitur; haec nimirum est conditio nostra, ut, ubi pluribus simul intenti sumus, ad singula deficere soleamus. Dum ergo tot undique hostes irruunt, pugnam illorum segregare juvat, ut sic, qui universis nos impares sentimus, adversus singulos fortiores simus. Neque acervum lapidum simul et semel, sed nonnisi successive loco movere possumus. Revera inter

eos, qui de christiana perfectione tractant, vix aliquem invenies, qui hanc methodum non summopere commendandam existimaverit.

Ipsos gentiles res haec non latuit. Inter alios Plutarchus de seipso refert: „*Hisce rebus instruebam animum meum, ut qui non minus amet pietatem, quam philosophiam, ut primum aliquos dies sacros sine irascendo transigerem. Deinde faciebam idem mensem unum aut duos, paulatim mei ipsius periculum faciens. Sic tempore proficiebam ad ulteriorem malorum tolerantiam, diligenter attendens et conservans meipsum placidum iraeque vacuum etc.*“ De cohib. irae.

2. Quod *materiam* hujus examinis attinet, praeprimis illud vitium exstirpandum erit, ex quo reliqua tamquam ex fonte suo pro singulari uniuscujusque infirmitate scaturiunt. Quodsi diversa vitia, quibus quis laborat, non tam ab invicem descendere, sed potius coëxistentia videantur; certamen hoc singulare contra illud instituatur, quod reliquis gravius fuerit. Denique inter defectus veniales suadent, ut primo loco *illi* emendentur, qui in aliorum offensionem vel scandalum cedunt, et praesertim quibus quis facile ad graviora disponitur.

3. Ad determinandum *modum*, quo haec fieri debeant, sequentia monita suggerunt:

*a)* Postquam vitium aliquod ope hujus examinis evellere decrevisti, eidem nulla jam pax, nec induciae concedantur, donec devictum fuerit. Quem in finem omni mane conceptum propositum renova, ejusque per diem saepius recordare; si forte lapsus fueris, mox dolens resurge; demum nullus elabatur dies, quin statuto tempore conscientiam tuam singulari cura circa hoc punctum discutias*).

*) Aliqui cum examine particulari etiam *diarium* conjungunt, ubi tum errata tum progressus suos annotare, et post aliquod

*b)* Etiamsi vitium aliquod firmiores in animo jam radices egisse, vel omnino diuturna consuetudine in alteram quasi naturam versum videatur, nunquam tamen animum despondere licet; omnia enim possumus DEO nos confortante, et consuetudo consuetudine vincitur. Atque haec pugna tamdiu continuanda erit, donec hostem penitus debilitatum experiaris, cujus praecipuum signum videtur, si virtutem oppositam tum quoque, ubi interna siccitate laboras, et multa cum facilitate exercere coeperis.

*c)* Tum vero animum ad aliud vitium converte, atque eandem methodum secutus ad tertium transi. „*Si hostem unum prostravisti, calca mortuum, transi ad rivum; calca jacentem, conflige cum resistente. Haec est actio nostra, haec est militia nostra.*“ S. Aug. Ubi S. Doctor simul innuit, etiamsi unum hostem jam plene deviceris, illum tamen semper adhuc calcandum esse, ne forte, dum illum negligis, redivivus te opprimat.

4. Det igitur DEUS secundum divitias gloriae suae, ut hac ratione omnes virtute corroboremur per Spiritum ejus in interiorem hominem. Eph. 3, 16. „*Si omni anno unum vitium exstirparemus, cito viri perfecti efficeremur. Sed modo e contrario saepe sentimus, ut meliores et puriores in initio conversionis nos fuisse inveniamus, quam post multos annos professionis. Fervor et profectus quotidie deberet crescere; sed nunc pro magno videtur, siquis primi fervoris partem posset retinere.*“ De imit. l. 1. c. 11.

---

intervallum de novo conferre solent, quantum profecerint. Et id quidem optimum videtur, dummodo justae cautelae observentur, et omnis vanitas absit. Cf. Linz. Monatschrift. 2. Jahrg. 2. Heft. S. 126 ꝛc.

## B.

### DOCTRINA DIAETETICA.

### Caput I.

*De refrenandis sensibus externis.*

§. 530.

De sensu tactus.

1. ***Diaetetica moralis*** docet, qua ratione peccatorum illicia caveri debeant. Attamen fieri non potest, ut omnia huc transferantur, quae virtutem infestare solent. Unde potissima tantum pericula recensere, atque ab iis ordiri juvat, quae a sensibus externis veniunt. Itaque sensus externi brutorum instar bonis nonnisi corporalibus inhiant. Hinc ubi rationis imperium desideratur, mox evagari et ferocire solent. „*Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*" Sap. 9, 15. Equidem non omnis delectatio ex sensibus oriunda honestati repugnat, sed voluptates etiam licitae dantur; attamen, ut dici solet, latet anguis in herba. „*Quidquid enim pulchrescit in visu, quidquid dulcescit gustu, quidquid blanditur auditu, quidquid lenocinatur odoratu, quidquid mollescit attactu; in his omnibus, si incauti fuerimus, surripientibus concupiscentiis malis animae virginitatem corrumpi permittimus, et impletur illud, quod per Prophetam dictum est: Intravit mors per fenestras nostras.*" S. Aug.

2. Prae ceteris de non custodito sensu *tactus* id obtinet, qui et per totum corpus diffunditur, et facillime irri–

tatur. Tanta est sensus hujus audacia, ut dum eidem incautius indulgetur, mox voluptatem concipiat, et ubi desaevire coepit, etiam reliquos sensus vehementer titillet. Hinc solicite cavendum est, ne quis vel ipsusmet alios, praecipue personas sexus diversi, licentiosius tangat, vel ab aliis ejusmodi tactus admittat. §§. 309. et seq. Etiamsi castitas ipsa per tales contrectationes fors non pessumdetur, ipsius tamen viror, ut S. Franc. Sales. scribit, semper aliquid de sua integritate deperdit. Quae quidem cautelae prae reliquis improvidae juventuti inculcari debent. Herc. Oberrauch., ad experientiam omnium confessariorum provocans, solide asseverat, plerisque, qui de pudore ac innocentia naufragarunt, hanc primae ruinae causam extitisse, ut vel tactum impudicum ab aequali, aut, proh dolor! ab adulto admiserint; vel a nemine seducti per incurios sui tactus ipsimet suam sibi corruptionem adduxerint, vel demum, ut ex incauta cum sexu altero familiaritate ad turpitudinem aliquam prolapsi fuerint. Unde, ut hostis iste domesticus nonnisi praemonitos et probe munitos aggredi queat, aetas isthaec modeste quidem, sedulo tamen moneri debet praesertim in sacro tribunali, ut tum proprium corpus semper honestissime tractent, tum ab aliis nihil prorsus inverecundi admittant; quandocunque aliquid impudici tentatur, celerrimam fugam arripientes aut clamorem excitantes non aliter, ac si praesentissimum periculum vitae instaret.

## §. 531.

### De custodia oculorum.

1. Quantum periculi licentia oculorum involvat, jam ipsa rei indoles evincit. Etenim appetitus animales quam maxime a phantasia pendent; simul vero phantasmata vix non omnia per visum formantur. Nisi ergo firma custodia

muniantur, periculosissimas imagines ad mentem transmittunt, ibique vitiorum semina celerrime excitant. Accedit ingens proclivitas, qua sensus iste rationem sua velocitate praecurrens in aspectus temerarios ruit, quo fit, ut ex objectis allicientibus facillime turpis delectatio admittatur, seu, ut verba S. Greg. usurpem, ut talis etiam *nolens cadat, et incipiat velle, quod noluit.* Mor. l. 21. c. 2. Propterea piissimus Job inquit: *„Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.“* Similiter Eccle. 8, 8. et seq. dicitur: *„Averte faciem tuam a muliere comta, et ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt. Ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.“*

2. Verum non solius castitatis, sed etiam reliquarum virtutum plurimum interest, ut sensus iste rite custodiatur. Qui fieri potest, ut vitam vere spiritualem agat, qui visum cohibere nescit? Quomodo, qui rerum terrenarum imaginibus turget, mentem in oratione collectam tenebit? Vel qua ratione conceptos pietatis ardores diu fovere poterit, qui finitis precibus mox iterum ad pristinam omnia perlustrandi consuetudinem revertitur? Dona Spiritus sancti subtilis instar liquoris statim evaporare solent, nisi vas undequaque clausum servetur. Hinc sub aliqua ratione ad literam interpretari licet, quod Matth. 5, 22. dicitur: *„Si oculos tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.“*

## §. 532.

### De reliquis sensibus.

1. Quaenam cautelae requirantur, ne vel turpiloquio vel detractionibus aures praebeamus, jam alibi ostensum

fuit. §§. 310. et 403. *„Sepi itaque aures provida circumspectione, ne pro veritate mendacium, pro sapientia stultitia in penetralia cordis irrumpant. Claude illas oblocutionibus, claude susurris, claude nugis et rumoribus, claude otiosis narrationibus omnique rei, quae nihil ad animae profectum confert. Sicut qui audivit symphoniam, fert secum in auribus modulationem illam et dulcedinem cantus, etiam cum discessit, ita malus sermo, quamvis non statim afficiat, semina tamen in animo relinquit, quae diutius haerent, et ex intervallo recurrunt.“* Carp. Bona. Praeter alia omnis quoque *assentatio* repellatur. Quisquis tibi blanditur, merito suspectus censeri debet. Nempe *fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

2. Similiter ex §§. 292. et seq. patet, qua ratione *gulam* refrenari oporteat. Res haec etiam sub consideratione *ascetica* oppido gravis est. Qui palato suo dominari nescit, ad virtutem solidam nunquam eluctabitur. Esto quidem, excessus graviores caveri; attamen per omnem intemperantiam acies mentis in ordine ad orationem rerumque coelestium intelligentiam hebetari, corpus vero vel ad turpem inertiam, vel ad incompositam hilaritatem et praecipue ad libidinem disponi solet. *„Sufficit corpori malitia sua. Quid flammae ampliori materia opus est, aut belluae copiosiori alimento, ut efferatior et violentior reddatur?“* S. Greg. Naz. orat. 44. Cassianus vero asseverat: *„Impossibile est, saturum ventrem pugnas interioris hominis non experiri. Et quomodo exspectandum, illum, qui gulam non refrenat, stimulos carnis, utpote vehementiores, repressurum?“*

3. Sensus *odoratus* equidem innocuus et minime periculosus videtur. Attamen nimia mollities circa illum, praeterquam quod hominem delicatulum et effeminatum osten-

dat, ipsi quoque officiorum neglectui ansam praebere potest, e. g. in visitandis infirmis etc.

Insuper prout corpus vane ornatum, ita etiam liquore madens tentationes attrahit.

## Caput II.

### *De coërcendo sensu interno.*

### §. 533.

De refrenatione phantasiae.

1. Ut brevitati studeam, hoc capite ea tantum pericula percensebo, quae tum ex infrenata phantasia, tum ex vesana curiositate ac intellectus petulantia nascuntur. Inprimis itaque indomita phantasia profectui spirituali obstat, praesertim quae imaginibus lubricis et lascivis turget. §. 272. et seq. Tum enim, quocunque libuerit, per summam licentiam divagatur, et non tantum praesentia, sed etiam praeterita et futura vitiorum illicia in unum quasi focum congerit. Vel etiamsi conspurcata non sit, inconstans tamen, garrula et rerum novarum amans mentem nullibi consistere patitur. Corrige phantasiam, et ecce omnia tranquilla erunt. Cum vero imaginatio praecipue per *incautam lectionem* corrumpi soleat, facile patescit, quanta in librorum delectu sobrietas requiratur. „*Petamus sane a profanis scriptoribus sermonis elegantiam, et ab iis verborum optimam supellectilem mutuemur. Sunt illa quasi pretiosa vasa, quae ab Aegyptiis sine piaculo furari licet. Sed absit, ut in iis incautis adolescentibus ab inebriatis doctoribus vinum erroris propinetur.*" Rollin. de methodo stud. Quantam circumspectionem in perlegendis auctoribus profanis, maxime poëticis, Ss. Patres commendent, sufficienter constat. Quia tamen nostra aetate aliqui

causantur, illos rem ultra modum exaggerasse, ipsos ethnicos, Tullium nempe et Quintilianum audire juvat. „*Videsne, poëtae quid mali afferant?*“ inquit Cicero. „*Ita sunt dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque umbratilem et delicatam cum accesserunt etiam poëtae, nervos virtutis elidunt. Recte igitur a Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos, et optimum reip. statum quaereret.*“ L. 2. Tusc. q. n. 37. Quintilianus vero de instituenda juventute disserens monet: „*Alunt et lyrici, si tamen in his non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris. Nam Graeci licenter multa, et Horatium in quibusdam nolim interpretari.*“ L. 1. c. 14.

2. Sed nostrates, qui *classici* dicuntur, cautelas hasce fors superfluas fecere? Ast quid demum excitare solent, nisi molliculas affectiones alterius sexus ad alterum, sacrorum contemtum, fastum denique et arrogantiam omnis subjectionis impatientem? Quis ergo succensebit, si cum eodem Quintiliano consulam, ut amoveantur ejusmodi scripta, si fieri potest; si minus, *certe ad firmius aetatis robur reserventur, cum mores in tuto fuerint.*

in plurimorum sane perniciem cedit, quod nostro tempore poëtae classici novis semper nitidisque editionibus procusi, ac levissimo pretio venales tam indiscrete divulgentur. „*Vae tibi flumen moris humani! quis resistet tibi! Quamdiu non siccaberis! Quousque volves Evae filios in mare magnum et formidolosum! Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per haec verba turpitudo ista confidentius perpetratur.*“ S. Aug. conf. l. 1. c. 16. Hinc summopere optandum est, ut viri religionis aeque ac literarum amantes non *auctorum modo, sed etiam partium* justum delectum instituant, atque ea tantum vulganda curent, quae juventuti absque periculo tradi possint.

3. Verum non ab his tantum libris abstinendum est, sed etiam ab iis, qui in locum solidae virtutis commenta turbidae phantasiae substituunt, doctrinas fanaticas et superstitiosas spargunt, vel sub inani sententiarum tumore nil nisi rationalismum, vel vicissim spurium mysticismum docent. Etiam nostra aetate plures surrexerunt, qui habentes quidem speciem pietatis, virtutem ejus evacuant. „*Et hos devita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quae ducuntur variis desideriis.*“ II. Tim. 3, 5. et seq.

## §. 534.

### De retundenda curiositate.

1. Absit, ut hac occasione prudens intellectum perficiendi studium redarguere, vel rerum inscitiae patrocinari velim. Attamen magna certe vanitas est et afflictio spiritus, siquis, utilibus et necessariis male neglectis, talibus occupatur, quae scivisse nihil prodest, vel obest etiam. Quamvis omnia intellexeris, nihil tamen scis, quamdiu teipsum et novissima tua ignoras. §. 271. Praesertim illa curiositatis species carpenda venit, qua quis facta aliena malesane observat, et quidquid acciderit, temere interpretatur: „*Tu quis es, qui judicas alienum servum?*“ Rom. 14, 4.

2. Parem reprehensionem petulans illa arrogantia meretur, qua intellectus hominis omnia, etiam sacerrima religionis mysteria perscrutari, et quidquid ipsi impervium videtur, rejicere pertentat. DEUS quippe superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Unde „*qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.*“ Prov. 25, 27. Caveamus igitur, „*ne quis nos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam.*“ Col. 2, 8. „*Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quae praecepit*

*tibi DEUS, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.*" Eccli. 3, 22. et seq. Etiam in re literaria „*quaestus magnus est pietas cum sufficientia,*" ut sciamus „*sapere ad sobrietatem, sicut DEUS unicuique divisit mensuram fidei,*" ut Rom. 12, 3. dicitur.

## Caput III.

*De reprimendis inordinatis affectibus.*

### §. 535.

**Regulae generales.**

1. Affectus seu appetitus concitatiores per se quidem, et quamdiu rationis imperio subsunt, adeo reprobandi non sunt, ut potius ad exequenda nostra officia egregie conferre queant. §. 7. Degenerant vero, quoties vel in objectum *prohibitum*, vel etiamsi objectum honestum sit, in illud tamen *inordinate* tendunt. „*Sicut si fortissime pro patria dimices, bonum est; si contra patriam, malum; sic et affectus, si ad usus bonos habeas, virtutes erunt; si ad malos, vitia dicentur.*" Lact. in Epit. c. 4. Unde, ne quid de ipso divino Redemtore dicam, S. Paulum modo gaudentem cum gaudentibus legimus, modo cum flentibus flentem; foris pugnas habentem, intus timores; desiderantem videre Romanos, Corinthios aemulantem etc.

2. Attamen post inductam naturae corruptionem, „*sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.*" Gen. 8, 21. „*Caro enim concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem; haec enim sibi invicem adversantur, ut non, quaecunque vultis, illa faciatis.*" Gal. 5, 17. Imo etiamsi *ad bonum* nobis inardescere videamur, turbato tamen virium nostra-

rum aequilibrio nescimus saepe, cujus spiritus simus, non rationem, sed merum sensum sequentes. Quapropter aliud non restat, quam ut nosmet ipsos abnegantes, evagantes naturae stimulos moderari, atque legi divinae in omnibus subjicere satagamus.

3. Et quidem in hac vita nullum unquam otium datur, quo nobis ab hac nostri abnegatione penitus cessare liceat; etenim, ut de reliquis hostibus taceam, *prava concupiscentia*, quamdiu peregrinamur a Domino, equidem debilitari, sed nunquam exstingui potest. „*Quantumcunque in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, et non magis suppressa. Intra fines tuos habitat Jebusaeus; subjugari potest, sed non exterminari.*" S. Bern.*). Ex quibus facile infertur, quid de illorum spirituali profectu censendum sit, qui etiamsi fors in peragendis bonis operibus frequentandisque sacris seduli videantur, inordinatas tamen affectiones suas segniter tantum, vel omnino non reprimunt, illas praecipue, quae sunt reliquis periculosiores. Verissimum est, quod habet libellus de imit. Chr.: „*Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.*"

4. Quamvis porro in omnibus nobis invigilare debeamus, specialis tamen attentio illuc convertatur, ubi hostis periculosius urget. Hinc unusquisque solerter explorare studeat, ex qua parte ob singularem propensionem vel infirmitatem suam pugnas graviores experiatur; tumque passioni, quae reliquis efferatior fuerit, singulari quoque studio se opponat.

---

*) Quare Ecclesia illos merito ceu *fanaticos* rejecit, qui sub ementita *impassibilitate* contenderunt, inordinatos appetitus jam in hac vita penitus evelli posse, ut adeo plena et non interrupta illorum quies atque malacia detur.

5. Demum prorumpentes naturae appetitus non solum moderari, sed eosdem, siquidem per se inhonesti non sint, sursum dirigere satagamus, ut illuc tendant, ubi vera sunt bona, ubi vera sunt gaudia. Etenim rerum terrenarum desideria sopiri nequeunt, nisi pro caducis istis et futilibus bona ordinis altioris substituantur. Et sane, qua ratione terra isthaec illum adhuc fascinare poterit, qui frequenter coelum intuetur, et impendentis ibidem aeternitatis meminit?

6. Haec igitur generatim dicta sunto. Regulas speciales, ne totam quasi Ethicam repetere cogar, ad potissima tantum vitiorum genera refero, scilicet ad concupiscentiam carnis, ad inordinatam habendi cupidinem et ad superbiam vitae.

## §. 536.

### De concupiscentia carnis.

1. Prae reliquis naturae depravatae stimulis facultatem ad generandum datam refrenari oportet, ut nempe extra legitimum conjugium nullus plane, ac in ipso conjugio usus nonnisi rationi conformis admittatur. §§. 299. et seq. Quamvis enim nullum vitium turpius sit, nullum, de quo magis erubescamus; natura tamen animalis ad nefandam luxuriam nimium quantum propendet. Hinc una omnium vox est, in hoc decertandi genere salutem in *fuga* reponi; est enim vitium blandum, a quo nemo securus, nisi longe distans. Non hic exempla toties decantata Samsonis, Davidis et Salomonis afferam; sunt quippe obvia, et quae neminem latere possunt. Proinde extremae dementiae foret, siquis inter tot omnium aetatum documenta se solum a communi hominum conditione immunem arbitraretur.

2. Etiamsi vero haec ad luxuriam proclivitas universalis sit, datur tamen in nonnullis *infirmitas singularis*

vel ratione aetatis, vel ex congenita indole, et praesertim ex lapsibus jam secutis. Tales igitur praeter cautelas generales ad curam prorsus exquisitam tenentur; eodem fere modo, quo homines stomachi debilioris, vel ex gravi morbo reconvalescentes a multis sibi temperare debent, quibus alii sine detrimento utuntur.

3. Quare huc omnia spectant, quae tum in Ethica, tum paulo ante de refrenatione sensuum externorum et phantasiae monui. Quantum periculi ex familiari cum diverso sexu conversatione, a choreis, ludis scenicis etc. plerisque immineat, §§. 316. et seq. notatum fuit. Pari modo §. 312. praecipua castitatis servandae media proposui.

## §. 537.

### De inordinata cupiditate habendi.

1. Generatim non quidem prohibemur, quo minus bona temporalia nobis conquirere, divitiasque legitime partas retinere studeamus; attamen nemo aequus rerum aestimator diffitebitur, rem esse perarduam. „*Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*“ I. Tim. 6, 9. et seq. Vid. §. 339. Et sane, ut poëta exclamat, quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames? Imo etiamsi vitia graviora fors desint, fieri tamen non potest, quin juxta dictum S. Bern. acquisitio divitiarum plena laboris, possessio plena timoris, et amissio plena doloris inveniatur. Scilicet „*siquando in navigiis est onus justo gravius, demergit cymbam; cum vero est moderatum, prospero fertur cursu.*“ S. Chrysost.

2. Quam ob rem ne salus nostra periclitetur, in rebus tum acquirendis, tum in earundem usu ita nos versari

oportet, ut nihil admittatur, quod legibus altioribus repugnet. Simul vero ad amoliendum hoc periculum, et si quidem ad majorem perfectionem adspiremus, cautissimi simus, ne affectus noster bonis temporalibus adhaerescat. Quae quidem intentionis puritas praesertim tum comprobatur, ubi bonis istis vel casu aliquo adverso, vel per officium quoddam nos abdicare cogimur. Si fascia, qua vulnus ligatum fuit, absque omni doloris sensu tolli potest, indicium satis certum habetur, illam plagae non inhaesisse; ast quo quis acerbius illam detrahendo dolet, eo magis vulneri agglutinata fuit. Sic itaque erga res hujus temporis affecti simus, ut illas nonnisi velut media ad fines altiores consideremus a DEO nobis concessa, et ab ejusdem nutu pendentia. „*Hoc itaque dico, fratres; tempus breve est; reliquum est, ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; praeterit enim figura hujus mundi.*" I. Cor. 7, 29. et seq.

## §. 538.

### De superbia vitae.

1. Prout S. Bern. illam describit, „*ambitio est malum subtile, secretum virus, doli artifex, virtutum aerugo, excaecatrix cordium, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languores.*" In Ps. 90. Idipsum S. Chrysost. profitetur: „*Omnia mala, quae sunt in mundo, habent contraria bona, quibus superentur, excepta sola vana gloria. Ideo, quantavis bona feceris, volens illam compescere, tanto magis excitas illam. Ratio est, quia omne malum a malo nascitur; vana autem gloria de bono procedit; et ideo non exstinguitur per bonum, sed magis nutritur.*" Hom. 15. in Matth. Ex quibus abunde perspicitur, quanta in exstirpando hoc vitio solicitudine opus sit, utpote quod ex ipsis virtutibus novas nobis in-

sidias parat. §. 262. *„Et saepe, quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla subvertere avaritia, ambitio facit criminosos.“* S. Ambr.

2. Ex hac ipsa ratione S. Chrysost. l. c. infert: *„Nullum remedium potest esse contra vanam gloriam, nisi oratio. Et haec quoque vanitatem generat, nisi caute prospexeris, si forte bene oraveris.“* Quare tum in exordio, tum in successu operum nostrorum frequens nobis sit illud Psalmistae: *„Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.“* Atque ut haec oratio vere pia sit, saepissime tum omnimodam dependentiam a DEO, tam innumeras nostras infirmitates pensitemus. §. 256. Quodsi, quae a DEO habemus, in ipsum sincere refundimus, profecto nihil nobis supererit, nisi peccata nostra.

3. Prout vero complacentia de seipso, ita etiam inordinatum studium placendi hominibus eliminetur. Hunc in finem

*a)* etiamsi ad nostra officia spectet, ut luceat lux nostra coram hominibus, solicite tamen attendatur, ne ideo faciamus justitiam nostram coram hominibus, *ut videamur ab eis*, sed tantum ut *„glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est.“* Matth. 5, 16. et 6, 1.

*b)* Praesertim absit, ut ad aucupandos vulgi profani plausus perversis ejusdem principiis nos conformemus, vel omnino ut religionis nostrae nos pudeat. Qui tali pacto hominibus placere studet, sane Christi servus non est. Gal. 1, 10., Luc. 9, 26. Potius, dummodo DEO accepti simus, parum nostra intersit, quid homines de nobis sentiant. Imo haec improborum dicteria jam ex eo contemni merentur, quia, quidquid egeris, nunquam illa effugies. Matth. 11, 18. et seq. Unde inter quascunque hominum obtrectationes religionem nostram intrepide semper profiteri, atque illa nos fide

insignitos esse oportet, qua „*Moyses grandis factus negavit, se esse filium filiae Pharaonis, magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias aestimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi.*“ Hebr. 11, 24. et seq.

## Caput IV.

### *De conversatione externa.*

### §. 539.

#### De custodia oris.

1. Verba quidem ex *abundantia cordis* profluunt; hinc si mens ipsa sana fuerit, si composita, si pudica, si temperans, etiam sermo sobrius semper et castigatus erit. Attamen aeque certum est, per ea, quae proferimus, cor nostrum vehementer affici. Utcunque tibi super terrena elevatus optimisque sensibus imbutus videaris, post vanam aliquam confabulationem mox te mutatum invenies. Unde dixit quidam: „*Quoties inter homines fui, minor homo redii*“ Quapropter refrenatio linguae etiam in Ascesi plurimam attentionem meretur. „*Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.*“ Jac. 1, 20.

2. Quia tamen de iis abusibus, quibus vel pudor vel fama laeditur, jam alibi dixi; hoc loco nonnisi pauca de verborum superfluitate addam. Itaque certissimum est, quod vir piissimus asseverat, *facilius esse omnino tacere, quam verbo non excedere.* Praesertim de illis id obtinet, quibus ratio debilior, imaginatio vero vivacior est, ut, quidquid in buccam venerit, effutire soleant. Etiamsi tales conscientiae ceteroquin timoratae sint, confabulationis tamen dulcedine

inescati sensim deflectunt, vel omnino ad ejusmodi sermones pertrahuntur, quos virtus genuina respuit. „*In multiloquio non deerit peccatum.*" Prov. 10, 19. Vice versa: „*Qui custodit os suum, custodit animam suam.*" Ib. 13, 3.

3. Quare verborum parsimoniam ab ipsis antiquis philosophis summopere commendatam legimus, praecipue a Pythagoraeis, qui nullum ad studium sapientiae aptum existimarunt, nisi tacere didicisset. Nos igitur praeter illa, quae §. 376. suggessi, saepe illud nobis usurpemus, quod Prov. 22, 33. dicitur: „*Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, et lingua mea perdat me?*" Et quamvis omni die cum aliis conversari debeamus, saltem attenti simus, ut a vanis et frivolis abstinentes ea semper proferamus, quae decent et expedire videntur. Praesertim mens nostra ab iis semper abhorreat, quibus qualecunque demum officium laeditur. „*Quodsi enim de omni vel otioso verbo, quodcunque locuti fuerint homines, DEO reddituri sunt rationem in die judicii, quanto strictius de verbo mendacii, mordaci et injurioso, de elato, de lascivo, de adulatorio, de detractorio judicabuntur!*" S. Bern.

## §. 540.

### De vestitu et totius corporis modestia.

1. Deperdita primae innocentiae chlamyde tegumentis nunc externis indigemus; ast quod homini lapso in poenam irrogatum fuit, saepissime in materiam peccandi convertitur. §. 298. Quapropter, si quidem in virtutis stadio progredi velimus, ab his etiam vitiis nos immunes esse oportet. Equidem quod materiam et formam attinet, decentia vestitus ex pluribus circumstantiis pendet; est nempe ratio habenda tum sexus et aetatis, tum etiam conditionis dignitatisque externae. Absit tamen, quidquid vanitatem

vel omnino lasciviam redolet; in iis vero, quae per leges honestatis conceduntur, homo prudens generatim parti majori et saniori suorum aequalium se accommodabit, ab affectatione et squalore pari intervallo distans. Etiamsi vestis non faciat monachum, *index tamen animi* esse solet, atque ad primum intuitum ostendit, qualis sis. Quodsi, qui has regulas transgrediuntur, affirment, se nihil mali intendere; cum S. Franc. Sal. responderi potest: Id quidem concessero; sed quid demum boni intendis? Num vero nescis, diabolum intentionem semper pessimam habere?

2. Similiter talis totius corporis habitus sit, ut nunquam non vivam piae compositaeque mentis imaginem referat. Nihil in te appareat, quod possit offendere intuentes; adeoque quidquid torvum in oculis, in verbis procax, atque in agendo leve vel indecens videtur, quidquid demum aliis nauseam vel fastidium parit, solicite caveri debet. „*Modestia vestra nota sit omnibus hominibus: Dominus prope est.*“ Philipp. 4, 5.

## §. 541.

### De fugiendo improborum consortio.

1. Inter reliquas cautelas, quas vel jam indigitavi, vel brevitatis causa transeo, summi quoque momenti est, ut improborum societate atque familiari convictu abstineamus. Prout enim ex consuetudine hominum, qui veram solidamque pietatem profitentur, ad virtutis studium vehementer accendimur; ita ex opposito nihil perniciosius datur, quam contubernium illorum, qui religionis honestatisque expertes vivunt. Praeter perversa principia, quibus mens nostra sensim imbuitur, ipse illorum conspectus nocere solet, utpote quorum exemplis vitia nobis familiaria redduntur, atque sensus pietatis magis magisque hebetatur. Unde familiaris conversatio animos vel similes supponit, vel similes

facit. „*Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur.*" Prov. 13, 20. Et haec quidem non de iis tantum obtinent, qui omnem honestatis curam abjecerunt; sed etiam consortium illorum declinetur, qui vel suum circa religionem frigus, vel quodcunque aliud vitium sub specie conversationis alioquin laudandae contegunt. Facile nobis persuademus, illud et nobis concessum esse, quod ab ejusmodi hominibus passim fieri conspicimus.

2. Quam ob rem in amicorum et contubernalium delectu summa semper solicitudo adhibeatur. „*Fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint: Sortem mitte nobiscum, marsupium unum sit omnium nostrum; ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt etc.*" Prov. 1, 10. et seq. Quodsi per familiaritatem minus caute initam reapse in occasionem peccandi proximam deveneris, ne „*acquiescas carni et sanguini; sed si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te; et si oculus tuus scandalizat te, erue eum et projice abs te.*" Gal. 1, 16., Matth. 18, 8. „*Nunc autem scripsi vobis, non commisceri; si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, ant rapax; cum ejusmodi nec cibum sumere.*" I. Cor. 5, 11.

---

## C.

## ARS GYMNASTICA.

### §. 542.

#### Praeviae observationes.

1. Ut praelia Israël feliciter praeliari liceat, non tantum ab insidiis dolosisque hostium artibus caute nobis

prospicere, sed etiam vires nostras exercere, nosque ad hostiles incursus paratos semper et expeditos stare oportet ad exemplum Judaeorum, qui ex captivitate reduces, cum reaedificandis moenibus insudarent, una manu laborasse, altera vero gladium tenuisse referuntur. II. Esdrae 4, 17. Non vero de iis exercitiis hic loquor, quae immediate mentem perficiunt, qualia sunt pia lectio, meditatio etc.; de his inferius sub titulo *orationis* dicetur; sed hoc loco illis solis immorabor, quae proxime ad subjugandos naturae depravatae stimulos commendantur, et aliquid *afflictionis* sibi annexum habent. Haec igitur, quae etiam *mortificationis* nomine veniunt, *artem gymnasticam* compello, Apostolum secutus, qui dum jubet, ut dilectus discipulus seipsum ad pietatem *exerceat*, eodem vocabulo utitur. I. Tim. 4, 7. Hanc praeclarissimam artem tum alibi, tum praecipue I. Cor. 9, 24. et seq. describit, ad exemplum illorum provocans, qui in stadio currunt. „*Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, et illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ne forte, cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*“

2. Necessitas horum exercitiorum facile comprobatur. Cum enim natura vitiata tam lugubriter ad omnis generis delicias propendeat, profecto exspectari nequit, illum ab *illicitis* sibi temperaturum, qui non etiam *licitis* carere consueverit. Nemo plane in gravi et ancipiti pugna constitutus facilius vincit, quam qui victoriis est assuetus. „*Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.*“ Eccli. 18, 30. Scilicet unicuique facultati eo plus dexteritatis ac roboris accrescit, quo fre-

quentius illam ad usus convenientes adhibemus. Idipsum igitur etiam de illis viribus obtinet, quibus tum illiciis externis, tum pravae concupiscentiae resistere jubemur. Quisquis in omnibus, quae apertam turpitudinem non involvunt, sibi indulgere solet; „*morietur in tempestate anima ejus, et vita ejus inter effeminatos.*“ Job 36, 14. Idcirco „*sicut arte medicinae calida frigidis, et frigida calidis curantur; ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis praeciperet humilitatem.*“ S. Greg. Seu quo quis majori impetu ad certum aliquod vitium inclinatur, eo majori quoque conatu in partem oppositam niti, seque ad fortiter resistendum exercere debet. Et quem demum Sanctorum novimus, qui carni suae indulgendum, et illam non potius omni modo refrenandam censuerit? Prout Apostolo, ita et reliquis, quorum nunc virtutes admiramur, fateri licuit sese „*in labore et aerumna*“ fuisse, „*in vigiliis multis, in fame et siti, in jejuniis multis, in frigore et nuditate etc.*“ II. Cor. 11, 27. Imo ipsis ethnicis, quos in philosophia excelluisse constat, nihil antiquius fuit, quam vulgatum illud: *Abstine, sustine.* Perspectum quippe habebant, hominem, nisi vitae rigidiori assuetus et multimodis exercitatus fuerit, nihil unquam virile et virtute dignum praestiturum.

3. Alia ratio est *sensus poenitentiae.* Scilicet afflictio, quam ejusmodi exercitia afferunt, non solum ad retundendum pruritus naturalis impetum facit, sed est etiam viva expressio animi vere poenitentis. Quid enim cordi humiliato et contrito magis proprium, quam per voluntarios cruciatus maculas illas eluere, quas per illicitas voluptates contraxerat? Revera affectus sincere poenitens semper tali modo semet exhibuit, prout tum historia profana, tum

praecipue sacra contestatur, e. g. I. Paralip. 21, 16., IV. Reg. 6, 30., Judith. 4, 9., II. Mach. 10, 25., Jonae 3, 6. etc. Utique nos proprio nostro conatu DEO *satisfacere* haud possumus; attamen quam parum Christus reliqua hominis officia, ita nec officium poenitendi sustulit; potius quo sincerior haec nostra poenitentia fuerit, eo magis satisfactionis ab ipso praestitae participes reddimur. §. 138. Hinc ergo tot Sanctorum poenitentium lamenta et lacrymae, hinc cruciatus illi, et arctissima jejunia, quibus non tantum novis lapsibus occurrere, sed etiam peccata praeterita expiare, atque justam in semet ipsos vindictam exercere conabantur.

4. Demum haec eadem opera, dum in spiritu poenitentiae, atque ad vitam facilius emendandam suscipiuntur, *majores nobis gratias* a DEO impetrant, et consequenter ad profectum nostrum praeclare conferunt. Etiam huc sub aliqua ratione applicari potest, quod Marc. 4, 24. dicitur: „*In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis et adjicietur vobis.*"

## §. 543.

### Distributio horum exercitiorum et regulae generales.

1. Vix non innumera sunt, quae ab hominibus virtutis studiosis tum ad corroborandas vires suas, tum in contestationem animi poenitentis, tentata et adhibita fuisse legimus. Neque diffiteri licet, nonnullos in hac exercitiorum palaestra limites prudentiae excessisse, ita ut fortasse corporis valetudini plus nocuisse, quam animae saluti consuluisse videantur. Quare potissimas tantum illorum species, et nonnisi illas adducam, quas Ecclesia generatim approbandas censuit.

2. Itaque haec mortificationis exercitia inprimis sunt vel *mere interna* vel *simul externa*, atque haec denuo in *necessaria* et *arbitraria* dispesci possunt.

3. De his igitur generatim sequentia praemonenda videntur:

*a)* Primum certe locum *mortificatio interna* tenet, qua inordinatos appetitus proxime in suo quasi fonte obstruere studemus. Haec enim tum ipsam perversitatis radicem aggreditur, tum etiam nullis fere abusibus subjacet. Imo ubi *abnegatio interna* penitus deest, quidquid egeris, plus fere nocet, quam prosit; quo in sensu Apostolus *corporalem exercitationem ad modicum utilem* declarat. I. Tim. 4, 8.

*b)* Absit tamen, ne *mortificationem externam* repudiandam censeamus. Nam ejusmodi exercitia, si quidem rite instituantur, studium internum veraciter exprimunt, et simul ob arctissimum nexum, quo animus corpori cohaeret, illud egregie juvare solent.

*c)* Inter haec ipsa exercitia iterum illa prae ceteris eminent, quae non ex proprio arbitrio, sed *proxime ex dispositione divina* nobis incumbunt. Huc e. g. molestiae spectant, quibus per vocationem nostram ratione temporis, negotiorum etc. subjicimur.

*d)* Denique quantum ad *arbitraria*, quidquid ad coërcendum corpus peragitur, ut glossa habet, *cum discretione fiat*, *ne quid nimis*. Unde omnes suadent, ut nihil majoris momenti pertentetur, nisi ex consilio et concessione spiritualis moderatoris.

## Caput I.

### *De mortificatione interna.*

### §. 544.

#### De ejusdem indole et necessitate.

1. Mortificatio interna, ut paulo ante memini, inordinatos appetitus proxime, et in ipso eorundem fonte ob-

struere nititur; ipsius ergo negotium est, ut, quidquid in animo nostro dissonum, obliquum vel vitiatum apparet, redintegrare, atque ad normam honestatis componere allaboret.

2. Ex hac ipsa descriptione ejusdem necessitas eruitur. Nimirum, ut de imit. l. 1. c. 11. legitur, *„totum et maximum impedimentum est, quia non sumus a passionibus et concupiscentiis liberi. Si tantum in istis exterioribus observantiis profectum religionis ponimus, cito finem habebit devotio nostra. Sed ad radicem securim ponamus, ut purgati a passionibus pacificam mentem possideamus.“* Huc sane etiam illud Joel. 2, 13. spectat: *„Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra, et convertimini ad Dominum DEUM vestrum.“*

3. Neque rari sunt, qui hac admonitione indigeant; vix non ubique terrarum personas invenies, quae etiamsi pietatem profiteantur, atque operibus externis sedulo incumbant, sunt tamen in sensu suo pervicaces, inobedientes, vaniloquae, facile irascuntur, ad temeraria judicia et mutuas offensiones prorumpunt etc. Talium igitur conditio eo periculosior est, quo magis de conversatione sua externa sibi fors complacent, nec immerito indignabundum istud vae illis intorquetur, quod Christus in Pharisaeos protulit: *„Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae, quia similes estis sepulchris dealbatis, quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. Sic et vos a foris quidem paretis hominibus justi; intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.“* Matth. 23, 27. et seq.

4. Pulcherrime S. Franc. Sal. causam praesentem explicat. Postquam similitudinem ab amygdala desumtam retulit, hisce circiter verbis pergit: *„Nunquam illorum methodum probare potui, qui, ut hominem reforment, ab*

*exterioribus, a vestitu, gestibus et capillis ordiuntur. Potius ab* i n t e r i o r i b u s *incipiendum videtur. Dicit enim Dominus:* C o n v e r t i m i n i a d m e i n t o t o c o r d e v e s t r o. *Et iterum:* F i l i, p r a e b e m i h i c o r t u u m. *Cum enim cor actionum omnium fons sit et origo; quale cor fuerit, talis erit tota quoque conversatio nostra. Et vere, quicunque JESUM Christum intus, suis in praecordiis tenet, illum mox etiam in omnibus suis actionibus spectandum exhibebit. Hac de causa, o charissima Philothea! prae reliquis cordi tuo sacram illam tesseram insculptam volui:* V i v a t J E S U S! *certus quippe sum, vitam tuam, quae, sicut amygdala ex nucleo, ex corde tuo procedit, una cum omnibus actibus hoc charactere insignitum iri. Et siquidem dulcis hic JESUS in corde tuo vixerit, absque dubio etiam in moribus tuis, in oculis, ore, manibus, quin in ipsis tuis capillis conspici poterit, ut jam illud usurpare queas, quod S. Apostolus ait:* V i v o e g o, s e d j a m n o n e g o, v i v i t v e r o i n m e C h r i s t u s. *Paucis, qui cor hominis lucratus est, jam totum hominem lucrifecit.*" Philoth. P. III. c. 23. Quae quidem, ut iterato monui, non ita intelligenda sunt, ac si externa mortificatio impune negligi possit; sed tantum, ut ostendatur, quae in hoc gravissimo negotio *prima* semper et *principalis cura* nobis incumbat. Quisquis *interna sua* justo minus refrenat, „*similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna.*" Matth. 7, 26. et seq.

### §. 545.

**Monita specialia.**

1. Ne illa, quae §§. 537. et seq. de refrenatione phan-

tasiae, de retundenda curiositate atque de reprimendis inordinatis affectibus dixi, de novo recenseam, ex tanta jam materiae ubertate nonnisi pauca monita colligo. Itaque cor hominis, etiamsi a desideriis aperte improbis cohibeatur, inquietum tamen et inconstans semper huc illuc vagari, et quidquid appetit, ad semet ipsum referre solet. Tum vero, ubi res prospere succedunt, ad superbiam et inordinatam laetitiam; sin vero, ad tristitiam et indignationem commovetur, vel omnino, dum spes suas plane frustratas ingemiscit, in desperationem agitur. Quapropter nihil nobis prius sit oportet, quam ut ab inordinato hoc studio, quod egoismi nomine venit, mentem nostram depurgare, atque nos totos in DEUM transferre satagamus, ab ipsius semper voluntate pendentes, et ejusdem providentiae firmissime innixi. Quo magis in hoc tuo conatu profeceris, eo magis quoque mens tua, cessante affectuum turbine, ad placidam libellam componetur. „*Cui omnia unum sunt, et qui omnia ad unum trahit, et omnia in uno videt, potest stabilis corde esse, et in DEO pacificus permanere.*" De imit. l. 1, c. 3.

2. In relatione *ad alios* ad mortificationem internam praecipue spectat, ut de nobismet ipsis modeste semper et humiliter sentientes, *proni* simus ad aliorum merita rite aestimanda; *cauti*, ne illorum actus temere observemus, vel omnino ad inanes suspiciones et temeraria judicia devolvamur; *faciles ad cedendum*, quoties de rebus indifferentibus conceptisque opinionibus agitur; *parati ad ignoscendum*, si qua injuria affecti sumus; *promti et alacres* ad benefaciendum omnibus, utcunque molestum et sensui amarulentum id accidat etc.

3. Speciatim erga superiores nostros, et quibus aliqua cura nostri incumbit, nos semper venerabundos et morigeros exhibeamus, ut illis subditi simus „*non solum propter*

*iram, sed etiam propter conscientiam; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem DEI ex animo.*" Rom. 13, 5., Eph. 6, 6.

4. Jam ex his patet, hanc mortificationis speciem, quam internam dicimus, iis praecipue occasionibus exerceri, in quas, DEO sic disponente, per occurrentes temporum rerumque circumstantias quasi inviti conjicimur, et quae proinde potius ex rerum humanarum cursu, quam ex nostro arbitrio pendent. Idcirco horum exercitiorum, quae superius *necessaria* vocavi, nonnulla subjungam.

## §. 546.

### Nonnulla exempla.

1. In omni hominum conditione sat multa dantur, quae hoc semet abnegandi studium insigniter exercere possunt. Huc, ut pauca tantum annectam, praeprimis spectant labores, quotidianae solicitudines, vigiliae aliaque incommoda, quibus vi vocationis nostrae exponimur; multiplices infirmitates et aegritudines non solius corporis, sed ipsius quoque animi; diversi eventus, quibus bonis nostris, amicis et charissimis spoliamur; molestum contubernium cum hominibus stupidis, morosae indolis, et qui nobis identidem bilem et nauseam movent; neglectus et contemtus, quem non tantum ab improbis, sed per errorem a viris quoque probissimis fors experiri cogimur; vel vicissim plausus et acclamationes hominum, quibus mens nostra ad vanitatem solicitatur; hinc inde sancita superiorum, quae utcunque sensui molesta videantur, nostram nihilominus submissionem expetunt; leges publicae, quae libertatem nostram multum coarctant; demum innumera alia, quibus divina providentia virtutem nostram indies perpolire ac perficere intendit.

2. Absque dubio de regno divino egregie merebimur, si naturae in ejusmodi circumstantiis renitenti imperare, atque nobis ipsis fortiores esse studeamus. Imo haec mortificationis exercitia vel ex eo praecellunt, quia non proprio arbitratu quaesita, sed DEO ipso sic disponente nobis immissa, atque conditioni nostrae attemperata fuerunt. Simul quod minus acerbitatis habent, per diuturnitatem suam et frequentiam largiter compensant. Denique tales de nobismet ipsis victoriae neque sanitati, neque reliquis officiis quidquam decerpunt, sed patrocinantur potius; et quia ab aliis parum advertuntur, nullum quoque periculum vanitatis inducitur, secus ac in mortificationibus arbitrariis hinc inde fieri consuevit. Hinc mirum non est, si viri etiam piissimi huic abnegationis generi inter afflictiones externas primatum concesserint, utpote quotidiano et prae reliquis necessario. „*Etenim*," ut S. Franc. Sal. loquitur, „*abusus est desiderare martyrium, et non sat animi habere ad perferendam obviam quandam injuriam. Saepe hostis infernalis ad expetenda absentia, et quae nunquam fient, nos impellit, tantum ut a quotidianis, quaeque reapse agenda forent, attentionem nostram deflectat. Imaginatio nostra cum monstris Africae decertat, et en, ab occurrente contemnendo aliquo vermiculo nos necari permittimus.*" Philoth. P. III. c. 37.

## Caput II.

### *De externa mortificatione.*

### §. 547.

#### Necessariae cautelae.

1. Prima quidem et potissima cura mortificationi internae impendatur, atque hanc inter quaecunque vitae prae-

sentis discrimina testatam fieri oportet. His alia exercitia succedunt, quibus homines ad solidam virtutem adspirantes nunquam non corpus suum edomandum censuere. Quamvis enim spiritus promtus sit, caro tamen infirma manet, et propterea ejusdem concupiscentia infringi, ac omni modo in servitutem redigi debet. Insuper, prout jam supra monui, hujusmodi exercitia plurimum conferunt tum ad nutriendum sensum poenitentiae, tum ad efficacissimas a DEO gratias impetrandas. Vera sapientia *„non invenitur in terra suaviter viventium.“* Job 28, 13.

2. Ad ultroneam hanc corporis castigationem praecipue referuntur solitudo, jejunium et vigiliae, et demum alia incommoda, quibus natura animalis studiose affligitur. Attamen ne quis hac doctrina abutatur, sequentes cautelas praemitto.

*a)* Vesanum foret in hisce exercitiis ipsius perfectionis *summam et essentiam* collocare; quamvis enim talis erga corpus austeritas magnum animi robur ostendat, ipsa tamen perfectio in sola charitate DEI consistit, cui proinde, quidquid agitur, famulari debet. Pari modo, dum DEO per ejusmodi opera pro peccatis satisfacere studemus, hanc satisfaciendi vim non ex nobis, sed ex *meritis Christi* repetimus, qui solus est *propitiatio pro peccatis nostris, imo totius mundi.* Ast per has ipsas poenitentiae contestationes ipsius merita in nos derivare conamur, et propterea *gaudemus in passionibus, et adimplemus ea, quae desunt passionum Christi, in carne nostra.* Col. 1, 24. Praesertim procul a deliriis illorum absumus, qui omnem materiam ex *principio malo* deducentes, carnem suam omni modo enecandam putarunt. Affligendum est corpus, ut spiritui subjiciatur, sed non conterendum. *„Nemo enim unquam carnem suam odio*

*habuit, sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.*" Eph. 5, 29.

*b)* Cum igitur hujus generis afflictiones non finem, non ipsam perfectionem, sed nonnisi *media illius assequendae* constituant; eatenus tantum probari possunt, quatenus nec valetudini, nec reliquis officiis, quibus quisque tenetur, adversantur. Quare in casibus singularibus plurimum interest, cujus aetatis, physicae complexionis, indolis, status et conditionis persona illa sit, cui tale quid concedatur. „*Aliter est judicandum de fine; aliter de his, quae sunt ad finem. Illud enim, quod quaeritur tamquam finis, absque mensura quaerendum est; in his autem, quae sunt ad finem, est adhibenda mensura secundum proportionem ad finem. Est ergo considerandum, quod in spirituali vita dilectio DEI est sicut finis; jejunia autem, vigiliae et alia exercitia corporalia non quaeruntur tamquam finis; sed adhibentur tamquam necessaria ad finem, et ideo hujusmodi adhibenda sunt cum quadam mensura rationis, ut scilicet concupiscentia dometur, et natura non extinguatur, juxta illud Apostoli: Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, rationabile obsequium vestrum.*" S. Thom. Quodl. 5. art. 18. Quapropter juxta S. Hieron. „*de rapina holocaustum offert, qui vel nimia ciborum egestate, vel somni penuria immoderate corpus affligit.*" Idem S. Greg. M. sentit: „*Plerumque cum plus justo caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis enervatur, ut ad orationem quoque vel praedicationem non sufficiat. Saepe dum hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus.*" Neque exempla desunt, tales, qui ab initio severitate nimia semet

afflixerant, postea vel ejusdem pertaesos ad saeculum rediisse, vel saltem ad vires suas recuperandas mollibus studuisse atque cupediis. „*Experti estis, quomodo quidam, qui antea inhiberi non poterant, (ita in spiritu vehementi ferebantur ad omnia) cum spiritu coeperint, nunc carne consummentur. Quam turpe nunc foedus inire cum suis corporibus, quibus crudele antea indixerant bellum!*“ S. Bern. serm. in Cant. 33.

*c)* Unde afflictiones rigidiores nunquam inconsulto spirituali directore fiant. Ipse vero moderator viam semper mediam tenebit, ut vitam quidem nonnihil rigidiorem omni modo commendet, fervorem tamen imprudentem mature coërceat. Adeoque ab intempestiva benignitate, et a nimio rigore pari intervallo distabit. Etenim vita moderate severa, praeterquam quod ad retundendos appetitus animales necessaria sit, etiam sanitati et officiorum exsecutioni quam maxime favere solet, dum vicissim amor deliciarum praeter animum ipsum quoque corpus enervat. Generatim tamen S. Franc. Sales. consulit, satius esse, vires corporales nonnihil impensius conservare, quam plus aequo destruere. Semper quippe, si placet, illas atterere, ast non pro lubitu easdem reparare possumus. Idipsum S. Basilius docet, asserens, „*et honestius et utilius esse, confirmando corpori suggerere, quam adimere vires; idque strenuum reddere obeundae bonae actioni, quam ultronea quapiam maceratione exoletum.*“ Quodsi director in aliquo fervorem solito majorem detegat, praeprimis studium *mortificationis internae* eo impensius commendabit, atque ut in *quotidiano vivendi usu* rite sibi temperet; dein vero vadum gradatim tentare juvat, ut appareat, tum quid valeant

humeri, tum utrum spiritus exinde revera vegetior reddatur.

Et haec quidem de *via ordinaria* obtinent. Ast DEUS T. O. Ecclesiam suam omni tempore animabus singulariter dilectis exornavit, quas proinde per viam non omnibus usitatam, sed per summos et vere stupendos poenitentiae rigores deduxit, tum ut easdem ad extraordinaria Spiritus sui charismata disponeret, tum ut mundo mollescenti et vecordi exempla praeberet, quibus salubriter confunderetur. Ceu potissima signa, aliquem ad talia vocatum esse, statuunt: Inprimis si quis magno et non intermisso majoris austeritatis desiderio tenetur; et insuper si ex rigoribus a spirituali directore concessis effectus sub omni ratione salutiferi resultant, ut scilicet praeter augmentum spiritus ipsum quoque corpus exinde magis convalescat. Historia sacra plures refert, quorum valetudo, quo minus sibi parcerent, eo robustior, ast quamprimum remissius secum agere juberentur, mox languens deprehendebatur. Unde complures illorum inter ingentes austeritates ad extremam senectam pervenere, e. g. Ss. Paulus et Antonius in eremo, Simeon Stylites, S. Romualdus etc.

*d)* Praeterea quaecunque hujus generis exercitia ita instituantur, ut ad christianam perfectionem reapse conferant, adeoque animo contrito semper et humiliato, conformiter sensui et praxi Ecclesiae, absque ulla pertinacia, et sincera cum intentione eorundem ope ad majorem virtutem eluctandi. Ubi haec animi dispositio deest, omnes castigationes corpori quidem multum afflictionis, spiritui vero nihil utilitatis afferent; imo dum vanitas, studium hominibus placendi, vel ingenium pervicax sub iisdem latent, perniciosissimae fiunt. Ut de aliis fanaticis taceam, scimus utique, in quae probra et deliria aevo medio *Flagellantes* prolapsi fuerint.

3. Ex quibus sat clare perspicitur, plurima, quae de voluntariis cruciatibus *Sanctorum* referuntur, admiranda potius, quam sequenda esse. Ast procul a nobis sint criminationes et cavilli, quibus recentiores aliqui, praesertim Protestantes illos onerare non erubescunt. Nam de plerisque constat, eos nonnisi specialem DEI impulsum secutos esse, id quod felicissimus eventus prorsus indubitatum fecit. Quodsi ergo DEUS, qui est *mirabilis in Sanctis suis*, illos per vias has asperas direxit, *„ut ostenderet divitias gloriae suae in vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam; o homo, tu quis es, qui respondeas ipsi?“* Rom. 9, 20. et seq. Attamen esto etiam, unum alterumve errasse, atque prae nimio fervore limites excessisse; quis non in ipso etiam errore heroïcum illorum animum admiretur, quo, urgente scilicet charitate, pro DEO tanta ac talia exantlarunt? Defleamus potius ignaviam aetatis nostrae, quae quidem tanta est, ut Ecclesiae florescentis specimina pro deliramentis habeat. Quid impii ejusmodi irrisores facturi essent, si DEUS talia, quae a Sanctis ultro perpetrata legimus, ab ipsis severa lege expeteret ab ipsis inquam, qui, etiamsi mortificatione ac poenitentia prae ceteris indigeant, ipsam tamen ejusdem umbram perhorrescunt?

## §. 548.

### De solitudine.

1. Non de plena et perfecta solitudine hic loquor, qua quis ab omni hominum alloquio et societate in perpetuum se recipit; hoc enim vivendi genus paucorum est, et nonnisi illis adaptatur, qui se ad eremum a DEO singulariter vocatos sentiunt. Datur vero et alia solitudo, cujus sequentes potissimum species discernuntur: *a)* Dum a *superfluo* hominum conspectu et affatu abstinemus; *b)* dum hinc inde

tantum, et nonnisi *ad certum tempus* aliorum nos societati subducimus, et *c)* demum, quae etiam *mentalis* dicitur, dum in ipsis hominum conventibus animum collectum tenere studemus.

2. Inprimis igitur ille solitudinis amor huc facit, quo quis inutilem et superfluam hominum societatem declinat. Praeclara sunt, quae de imit. l. 1. c. 2. in hanc rem afferuntur. Praesertim nos sacerdotes illius semper memores simus, quod auctor hic piissimus inter alia suggerit: „*Facilius est domi latere, quam foris se posse sufficienter custodire. Qui igitur intendit ad interiora et spiritualia pervenire, oportet eum cum JESU a turba declinare. Si vis corde tenus compungi, exclude tumultus mundi, sicut scriptum est: In cubilibus vestris compungimini. In cella invenies, quod deforis saepius amittes. Cella continuata dulcescit, et male custodita taedium generat. Si in principio conversionis tuae bene eam incolueris et custodieris, erit tibi postea dilecta amica et gratissimum solatium. In silentio et quiete proficit anima devota, et discit abscondita scripturarum. Laetus exitus tristem saepe reditum parit; et laeta vigilia serotina triste mane facit.*“ Et sane dum sacrorum ministri conspiciuntur *circuire domos, non solum otiosi, sed et verbosi et curiosi, loquentes, quae non oportet,* prout Apostolus evagantes viduas describit; cui non verba lamentantis Prophetae occurrant: „*Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus; dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum?*“ Thren. 4, 1. Verum non tantum viris sacris, sed generatim omnibus, qui ad solidam virtutem adspirant, talis a superfluis congressibus abstinentia commendari meretur. „*Dimitte vana vanis; tu autem intende illis, quae tibi praecepit DEUS. Si non exisses, nec quidquam de rumoribus audisses,*

*melius in bona pace permansisses. Ex quo nova delectabat audire, oportet te exinde turbationem cordis tolerare.*" De imit. l. c.

Sunt tamen, quibus solitudo periculosissima fieri consuevit; homines nempe turpi molitiei assueti. His potius suadendum, ut surgente gravi tentatione de cubili se proripiant, atque, si fieri potest, cum hominibus honestis conversentur. Hac occasione etiam libellum vere famosum perstringere juvat: *Zimmermann de solitudine*, qui, quo impudentior, eo majori plausu exceptus atque in omnes prope linguas translatus est. Auctor vaferrimus, ut vitam monasticam publico contemtui exponat, nefanda Thebaidis dedecora refert, ast ita, ut plurima ex proprio cerebro confingat, obvias narratiunculas pro veris venditet, quae ab Hieron., Cassiano etc. hinc inde memorantur, misere detorqueat, et quae per plura saecula atque ex tot monachorum millibus ab uno alterove degenere patrata fuerunt, vivis coloribus in unam quasi tabulam congerat non aliter, ac si omnes hac pudenda scabie laborassent. Ipsi Protestantes, etiamsi saepissime ad illum provocent, diffiteri tamen non possunt, ipsum non ubique fidem mereri, prout e. g. Reinhard, celebre inter ipsos nomen, et rebus monasticis ceteroquin sat infestus, iterato fatetur.

3. Altera solitudinis species in eo versatur, ut nos *statis temporibus* consortio hominum rerumque terrenarum tumultui subducamus eo scilicet animo, ut mentem a mundano pulvere depurgare, atque lassatas ejusdem vires reficere possimus. Hunc saluberrimum secessum Dominus noster J. Chr. dignatus est proprio suo exemplo sacrare, quippe qui tum in exordio, tum saepius per decursum muneris sui publici *desertum* petiit, non quasi ipsusmet hisce interstitiis indiguerit, sed ut suis, praecipue sacrorum ministris normam praeberet; unde cum Apostoli de legatione sua reversi nuntiarent, quae egerant et docuerant, ait illis: „*Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pu-*

*sillum.*" Marc. 6, 30. et seq. Et profecto quid demum fieri solet, quando per longius tempus, hominum multitudine et negotiorum mole irretiti, aliis potius, quam nobis vivere tenemur? Nimis pronum est, ut status nostri interioris immemores ad varios defectus, et sensim ad ipsa fors vitia delabamur. Hinc nihil plane consultius, quam ut per intervalla sacrum ejusmodi otium repetamus, ubi saltem ad horam, seclusis turbis, uni DEO et nostrae nobis saluti vacare liceat.

4. Demum solitudo *mentalis* dicitur, si quis inter ipsa negotia et tumultus hominum sese in cordis sui penetralia recipere, ibique tamquam in sanctuario clauso semper et obserato, cum DEO dulciter conversari didicit. Unusquisque perspicit, hunc animi receptum omni externae solitudini longe praeferendum esse, et rectissime totius vitae spiritualis *arcanum* dici. Ejusdem exemplum absque ulla comparatione summum in illo conspicimus, cujus *cibus erat, ut voluntatem ejus faceret, qui miserat eum.* Ast ad hanc internam solitudinem nemo unquam pertinget, nisi diu multumque etiam externae studuerit. „*Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.*" Joann. 14, 23.

## §. 549.

### De subtractione somni.

1. Divinus Redemtor etiam noctes integras insomnes duxisse legitur, ut easdem orationi rerumque coelestium contemplationi impenderet. Luc. 6, 12. Idipsum historia de aliquibus Sanctis refert, qui, ut divino huic prototypo in omnibus se conformarent, etiam ex hac parte illud imitari satagebant. Generatim vero, quotquot christianae perfectionis vere amantes fuere, prout reliquis naturae indigentiis,

ita et somno, quantum licuit, subtrahere conabantur, tum ut corpus suum affligerent, tum quia omne tempus deperditum existimabant, quo in divino servitio excubias non egissent. Interim tamen in hoc mortificationis genere nos admodum cautos esse convenit, ne limites a natura stabilitos transgrediamur. Idquod nunquam impune fieri consuevit; inprimis enim vigor et vires corporis per nimiam somni subtractionem praemature exhauriuntur, et insuper ad operationes diurnas vix non inepti reddimur. Unde cum S. Carolus Borrom. adverteret, se publicis functionibus assistentem subinde vehementi somno incommodari, imo et obdormire, nocturnam quietem paulisper producendam duxit. Quia porro pro diversa corporis complexione, nec non pro diversitate laboris, diversa quoque somni necessitas datur, absonum foret pro omnibus eandem prorsus regulam scribere. Quare unusquisque de semet ipso experimentum capiat, quantum sibi defraudare possit, quin vel animi vigor, vel corporis valetudo, vel reliqua demum officia aliquid detrimenti patiantur.

2. Eo magis vero optandum foret, ut singuli quique *certum sibi ordinem* figerent surgendi, orandi, laborandi etc., utque sine sufficienti ratione illum nunquam transilirent. Et quidem S. Franc. Sal. probum et consultum existimat curare, ut vesperi tempestive cubitum eamus, quo summo mane expergefieri et surgere possimus. Aurora enim non tantum Musis, sed etiam orationi praeprimis amica censetur. Jam alibi annotavi, quam periculosum sit aetati praesertim juvenili somnum in multam diem producere, vel quod multo pejus, siquis vel somno jam discusso, vel blando sopore constrictus plumis inhaerere pergit.

3. Praecipue tamen curandum nobis est, ut molestias per divinam providentiam dispositas promto semper animo perferamus, e. g. dum ex morbo aliquo vel vehementi do-

lore nulla nobis quies conceditur; item quoties vi muneris nostri consuetum somnum abrumpere, fors intempesta nocte ad infirmum festinare, vel per magnam illius partem moribundo assistere necesse est etc. In ejusmodi casibus, quo major molestia exantlanda fuerit, eo majori quoque cor nostrum solatio perfundetur, siquidem recogitemus, quod Redemtor ait: „*Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*" Matth. 25, 40.

## §. 550.

### De jejunio.

1. Res est certe difficillima naturae indulgere, quae eidem grata videntur, et simul ita sibi temperare, ut non solo animali sensu agamur. „*Certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi et bibendi,*" ingemiscit S. Aug. „*Et quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est et magnificet nomen tuum! Ego autem non sum, quia peccator homo sum.*" Conf. l. 10. c. 31. Jam ex hac igitur causa jejunium omnibus ad veram perfectionem contendentibus perquam familiare fuit, quippe quibus multo facilius videbatur alimentis, quantum a natura conceditur, abstinere, quam iisdem sine omni virtutis imminutione vesci. Praecipue tamen hoc abstinentiae genus exinde commendandum censuerunt, ut ejusdem ope carnem spiritui facilius subjugarent, huncque ad rerum coelestium contemplationem expeditiorem facerent. „*Quemadmodum leviores naves maria velocius transeunt, contra multo onere gravatae submerguntur; ita jejunium leviorem reddens mentem efficit, ut facilius hujus vitae pelagus transmittat, ac ea, quae in coelis sunt, respiciat, et nihili faciat praesentia.*" S. Chrys. in Genes. hom. 1. Denique hoc

idem exercitium sensum poenitentiae atque saluberrimam peccatorum vindictam spirat. Quem in finem non tantum inter monachos, sed in ipsis quoque urbibus ingens quondam jejuniorum rigor tenebatur, prout e. g. S. Aug. semet Romae vidisse narrat: „*Jejunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo corpus (quod est usquequaque usitatissimum), sed continuum triduum vel amplius saepissime sine cibo et potu ducere. Neque hoc in viris tantum, sed etiam in feminis etc.*" De mor. Eccl. l. 1. c. 33.

2. Ast nunquam non attendantur cautelae superius allegatae, ne obliviscamur, quid valetudo, quidque ratio reliquorum officiorum expetat. Quas quidem prudentiae regulas S. Hier. in epistolis suis iterato inculcat. Imo, prout idem S. Pater asserit, fieri potest, ut natura per nimiam abstinentiam fracta, postmodum eo largiores refocillationes quaerat: „*Experimento didici, asellum in via, cum lassus fuerit, diverticula quaerere.*" Ep. ad Laet. Insuper eodem teste „*per jejuniorum excessum debilitas stomachi, ex hac autem cruditas quaedam consequitur, quae parens libidinum est.*" Ad Rust. Praesertim caveatur, ne abstinentia, quae virtutis subsidium esse debet, eidem adversetur. Unde multam reprehensionem merentur, siqui jejunio addicti, domi suae inquieti, injuriarum impatientes, dissolutae linguae, vani, imperiosi etc. sunt, in solo quasi jejunio arbitrario officiorum summam consistere autumantes. „*Quid enim tenuatur abstinentia corpus, si animus intumescit superbia? Quam laudem merebimur de pallore jejunii, si invidia lividi simus? Quid virtutis habet vinum non bibere, et ira et odio inebriari?*" Idem ad Celant. Demum aliorum quoque rationem habeamus oportet, quibuscum communi mensa utimur, ne forte singulare quid affectare videamur. Tum enim, ut S. Bern. ait, fieri

solet, ut praeter reliquorum offensionem nonnisi propria complacentia saginetur, atque ut talis plus sibi blandiatur de uno jejunio, quod ceteris prandentibus facit, quam si cum ceteris septem dies jejunaverit.

3. Quapropter sequentes potissimum regulas annecto.

*a)* Nisi ratio sat solida te excuset, inprimis *jejunia praecepta* religiose observabis. Tum juxta sententiam S. Franc. Sal., siquidem fieri possit, omnino suadendum est, ut etiam praeter dies ab Ecclesia statutos aliquoties jejunes; sic enim praeter ordinarium jejunii effectum, quo spiritus elevari, caro reprimi, et major in coelo gloria acquiri solet, appetitus sensualis rationi magis subjectus tenebitur.

*b)* Generatim valde probandum videtur, quod S. Hier. ad Furiam scribit: „*Parcus cibus et venter semper esuriens triduanis jejuniis praeferendus; et multo melius est, quotidie parum, quam raro satis sumere. Pluvia illa optima est, quae sensim descendit in terram. Subitus et nimius imber in praeceps arva subvertit. Quando comedis, cogita, quod statim tibi orandum, illico et legendum est.*“ Atque hoc exercitium ipsi quoque valetudini praeclare consulit; unde omnibus possibile, et nihilo secius sat arduum mortificationis genus est. Huc etiam subtractio *vini* spectat, cujus, nisi quis ab illo penitus abstinere malit, portio semper modica et sic temperata sit, ut sanitati sufficiat, quin virtuti adversetur.

*c)* Praeprimis unusquisque *temperantiae* ac *frugalitati* studeat, quo inter alia et istud refertur, ut excepto casu necessitatis conveniens et statutum refectionis tempus servetur, quin tempore intermedio quidpiam cibi sumatur; ne alimentis exquisitioribus et delicate conditis inhiemus; ut illis, quae apponuntur, non in-

ordinata aviditate, sed pio semper fine utamur; et dum mensa largior instruitur, saltem aliquid nobis subtrahamus, cum gaudio Spiritus sancti DEO illud offerentes, ut S. Bern. inquit.

*d)* Denique etiam in hac materia plures nosmet abnegandi occasiones dantur, quae nobis invitis occurrunt; e. g. dum ob singulares labores consuetam refectionis horam differre cogimur, dum cibaria minus grata, insipida, vel manu fors parciori apponuntur etc. Quodsi ergo in ejusmodi casibus naturae indignantis motus compescere, nosque rerum circumstantiis promte accommodare studeamus, haec nostri abnegatio prae omni inedia divinum nobis beneplacitum conciliabit. Praeclare iterum S. Franc. Sal.: *„Summopere reverenda duco verba illa Redemtoris nostri J. Chr., ad discipulos suos dicentis: Manducate, quae apponuntur vobis. Ni fallor, majoris virtutis est indiscriminatim comedere, quae et quo ordine apponuntur, sive sapiant desipiantve palato, quam proprio motu semper deteriora sibi eligere. Licet enim haec posterior agendi ratio videatur austerior, prior tamen plus continet resignationis; per illam quippe homo non gustui tantum, sed suo quoque arbitrio renuntiat. Accedit, quod hoc mortificationis genus ab omni nota vanitatis immune, prorsus innocuum, et vitae sociali perquam conveniens sit. Hinc pluris facio, S. Bernardum aquae aut vini loco oleum bibisse, quam si dato studio, et motu proprio aquam absinthiam bibisset; illud enim signum erat, eum plane non attendisse, quid apponeretur. Excipe tamen cibos corporis sanitati contrarios, vel sub quacunque alia ratione noxios prohibitosque.“* Philoth. P. III. c. 23.

## Caput III.

*De statu religioso.*

### §. 551.

De consiliis evangelicis.

1. Jam inde a primis Ecclesiae temporibus fuerunt, qui se ad certa perfectionis subsidia, in divinis literis singulariter commendata, *vi voti* adstringerent, tum ut per ultroneam sui oblationem DEO summam reventiam deferrent, tum ut pia animi decreta tanto vinculo magis confirmarent. §. 241. Ex his praesertim *consilia evangelica* eminent, scilicet voluntaria paupertas, perpetua et plena simul continentia, atque obedientia. Ad primum obtutum patet, haec tria consilia e diametro adversari triplici illi corruptioni, quae I. Joann. 2, 16. describitur. Votum castitatis *concupiscentiae carnis* opponitur; paupertas, qua quis omne in bona temporalia jus voluntarie dimittit, *concupiscentiae oculorum* adversatur; votum demum obedientiae ad exscindendam *superbiam vitae* inservit.

2. Ex quibus utrumque facile perspicitur, qua nempe ratione fiat, ut mundus hisce consiliis nunquam non infestus, sancta vero Ecclesia iisdem semper addictissima fuerit. „*Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus DEI; stultitia enim est illi, et non potest intelligere: spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur. Nos autem sensum Christi habemus.*“ I. Cor. 2, 14. et seq.

3. De praestantia *virginitatis*, siquidem ultro et studio christianae perfectionis eligatur, jam §§. 475. et seq. dixi. Id solum annotasse juvat, hoc consilium jam primis saeculis tam efficax fuisse, ut ex testimonio S. Ignatii, S.

Justini, Tertull. et S. Cypr. *ex utroque sexu multi fuerint, qui in vita coelibe consenuerant.* Cumque saec. IV. Joviuianus hanc virginitatis praecellentiam negare praesumeret, juxta S. Hier. *cohorruit orbis, gentilesque ipsi impurum hominem aversati sunt.*

4. Similiter iterato ostensum fuit, quam periculosum sit, in *via tam angusta*, quae ad coelum ducit, bonis temporalibus oneratum incedere. Praeclare S. Bern. in serm. de bon. deserend.: „*Ecce*," inquit, „*nos reliquimus omnia. Bene, optime, et non ad insipientiam tibi; nam et mundus transit, et concupiscentia ejus, et relinquere haec magis expedit, quam relinqui. Reliquimus omnia, et secuti sumus te. Nimirum quia exultavit ut gigas ad currendam viam, nec currentem sequi poterat oneratus. Sed nec inutilis commutatio, pro eo, qui super omnia est, omnia reliquisse. Nam et simul donantur omnia, et ubi apprehenderis eum, erit unus ipse omnia in omnibus, qui pro ipso omnia reliquerunt.*" Vana est objectio, illum, qui res suas dimittit, se simul mediis benefaciendi abdicare; inprimis enim *non in solo pane vivit homo*, sed dantur etiam modi ordinis sublimioris, quibus aliorum salutem provehamus; deinde homo locuples *potest* quidem bona sua rite adhibere; utrum vero illa nonnisi bene *adhibiturus sit*, res est adeo anceps, ut Evangelium conditionem divitum periculosissimam dicat.

5. Aliud denique perfectionis impedimentum est *libertas externa*, qua fieri solet, ut, qui sui juris sunt, facillime *proprio sensui* et *propensioni suae* indulgeant. Atque hoc idem periculum non illos tantum premit, qui naturali pruritui generatim habenas laxant, sed ipsis quoque probis perquam infestum esse consuevit. Fidem superat, quantae in hac causa deceptiones occurrant, et quidem in negotiis non solum profanis, sed etiam sacerrimis. Saepe

nil nisi divinam gloriam aliorumque salutem quaerere nobis videmur; et tamen re magis discussa intelligemus, sub hoc obtentu aliquatenus vel pervicax ingenium, vel studium prae aliis eminendi, vel alium minus castigatum affectum latuisse. „*Saepe ignis ardet, sed sine fumo flamma non ascendit. Sic et aliquorum desideria ad coelestia flagrant, et tamen a tentatione carnalis affectus liberi non sunt. Idcirco non omnino pure pro honore DEI agunt, quod tamen desideranter ab eo petunt.*“ De imit. l. 3. c. 49. Hisce igitur periculis *obedientia* opponitur, qua quis propter regnum coelorum semet voluntarie alieno ductui submittit. Quam praeclare haec proprii arbitrii abdicatio sensui Evangelii conveniat, ex scriptis Ss. Patrum abunde patet, quippe qui illam summis semper laudibus et praeconiis celebrant. Imo juxta S. Greg. M. „*sola virtus est obedientia, quae virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit. Hinc victimis jure praeponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque DEUM citius placat, quanto ante ejus oculos, repressa arbitrii sui superbia, gladio praecepti se immolat.*“ Mor. l. 35. c. 16. Pulchre quoque in jure can. dicitur: „*Magna quidem paupertas, sed major integritas; horum est obedientia maximum, si custodiatur illaesa; nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur.*“ In extravag. *Quorundam* 1. de verb. signif.

Qui obtendunt, per obedientiam ipsum liberum arbitrium, adeoque necessarium moralitatis characterem tolli, vix non risum merentur. Utique dum nos alienae directioni submittimus, exinde non *libertas moralis*, sed nonnisi *facultas pro mero lubitu* agendi cessat, et consequenter prout voluntarie nos subjecimus, ita etiam superiorum jussis *voluntarie* obsecundamus. Unde *meritum nostrum* non intercipitur, sed

potius coram DEO eo majus erit, quo gravior haec sui oblatio naturae superbienti accidit. Vel numquid *libertas moralis* ex eo fors constringitur, quia tum DEUS, tum legitimi rectores multa nobis praecipiunt? Insuper nemo prudens homini *qua tali* se subjicit, sed tamquam DEI ministro, qui DEI ipsius vices agat, nosque ad DEUM eo certius dirigat.

## §. 552.

### Continuatio.

1. Ut vero obedientia ad christianam perfectionem nos vere promoveat, hisce potissimum dotibus oportet insignita sit, ut nempe *alacriter,* cum *simplicitate*, atque in gaudio Spiritus sancti obediamus. Primum igitur est, ut *alacriter*, id est, mox, impigre, et sine tergiversatione superiorum jussa exsequamur, „*cum bona voluntate servientes, sicut DEO et non hominibus.*" Eph. 6, 7. „*Fidelis obediens moras nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem.*" S. Bern. serm. de virt. obed. Etiamsi pars inferior multum recalcitret, voluntas tamen omnes molestias generoso pede calcare studeat; imo quo difficiliores res injunguntur, eo magis haec mentis alacritas se exserat, utpote cum grave non sit, in illis se strenuum exhibere, quae genio et naturae nostrae arrident. „*Nonne et ethnici hoc faciunt?*" Atque haec eadem animi promtitudo prout ad reliqua, sic praecipue ad internam directionem, ad opera poenitentiae, ad corporis macerationes etc. extendatur. Non genuinum, sed fucatum potius et spurium fervorem prodit, qui sub qualicunque pietatis praetextu leges obedientiae transgreditur.

2. Altera conditio est, ut obedientia sit simplex, id quod Apostolus diserte jubet: „*Obedite in simplicitate cordis vestri sicut Christo.*" Eph. 6, 5. Absit ergo, ut superiorum consilium, prudentiam vel discretionem ad judicii nostri trutinam revocemus. „*Perfecta obedientia est,*

*non discernere, quid vel quare praecipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter et humiliter fiat, quod a majore praecipitur.*" Guillelm. Abb. Equidem superioribus eousque tantum obedire fas est, quamdiu nihil praecipiunt, quod legi altiori adversetur; unde, prout S. Bern. inquit, non sola simplicitate, sed, si revera aliquid divinis institutis legibusve altioribus contrarium juberi contingeret, etiam *prudentia* et *animi libertate* opus est; quia tamen de praepositis ceteroquin probatae conscientiae tale quid suspicari non licet; summae certe temeritatis foret, eorundem jussa solicite semper disquirere. Generatim „*imperfecti cordis et infirmae prorsus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere; haerere ad singula, quae injunguntur; exigere de quibusque rationem, et male suspicari de quolibet praecepto, cujus causa latuerit. Delicata satis, imo nimis molesta est hujusmodi obedientia.*" S. Bern. de praecept. et disp.

Haec obsecundandi simplicitas, qua quis, *quamdiu nihil legibus altioribus contrarium jubetur*, voluntati superiorum promte acquiescit, etiam *obedientia caeca* dicitur, quae scilicet nec praepositorum intentionem, nec illorum, quae jubentur, rationes inquirere, sed ex rectoris judicio pendere solet. Quare ingens criminatio est, siqui asserunt, ad religiosorum ordinum statuta pertinere, ut, quidquid a superioribus praecipitur, utut illicitum et nefarium illud sit, a subditis caeco modo exsecutioni detur.

3. Demum obedientia etiam hilaris sit, atque in gaudio Spiritus sancti fiat. „*Non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit DEUS.*" Quam quidem hilaritatem etiam externe testatam facere studeamus. „*Serenitas in vultu, dulcedo in sermone multum colorat obedientiam obsequentis. Unde gentilis ille poëta ait: Super omnia vultus accessere boni. Quis enim*

*locus obedientiae, ubi tristitiae cernitur amaritudo? Ostendunt plerumque voluntatem animi signa exteriora; et difficile est, ut vultum non mutent, qui mutant voluntatem.*" S. Bern. de virt. obed.

4. Ad excitandos hos sensus identidem memores simus, nos, dum legitimis superioribus obedimus, DEO ipsi obedire. Luc. 10, 16., Rom. 13, 1. et seq., Eph. 6, 6., Col. 3, 23. Hunc in finem iterato sciscitemur a nobis: En, quid ageres, si Christus ipse, coram apparens, hoc vel illud expeteret? Num haesitares? Num ejusdem jussa praevie discutienda crederes? Num tristem illi vultum exhiberes? Agedum, superiores tui ipsum Redemtorem repraesentant; quidquid ergo ipsi deferres, ejusdem quoque vicariis praesta. Neque illius nos oblivisci decet, quod Hebr. 13, 17. legimus: „*Obedite praepositis vestris, et subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*" Quapropter si superiorum potius, quam propriam voluntatem secutus fueris, ratio aeterno Judici reddenda non tibi, sed superioribus tuis incumbet. Praesertim exemplum Mediatoris nostri huc facit, „*qui humiliavit semet ipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et DEUS exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen etc.*" Philipp. 2, 8. et seq.

## §. 553.

### De essentia status regularis.

1. Haec tria consilia, quae in sensu eminentiori *evangelica* dicuntur, equidem etiam in saeculo, et quin votum ullum intercedat, servari possunt. Idquod tam de *obedientia*, quam de *castitate*, prout puto, nullus inficiabitur. Pari modo jam in primis fidelibus exemplum paupertatis, qualem paulo ante descripsi, invenimus. „*Omnes,*

*qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia; possessiones et substantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.*" Act. 2, 44. et seq. Conf. ib. v. 32.

2. Ast aeque certum est, ad promovendam christianam perfectionem plurimum conferre, siquis juxta normam aliquam ab Ecclesia approbatam ad servanda haec consilia voto perpetuo se obstringat. Quod ubi fit, *status regularis* vel *religiosus* resultat, quem proinde definiunt esse stabilem et ab Ecclesia approbatum in communi vivendi modum, quo fideles editis votis perpetuae obedientiae, paupertatis et castitatis ad christianae charitatis perfectionem tendunt.

Quodsi in sacra aliqua communitate, accedente Ecclesiae approbatione, vota vel nulla vel nonnisi simplicia emittuntur, *pia congregatio* vocatur, quales e. g. sunt congregationes clericorum a S. Philippo Nerio, a S. Liguorio, a Petro de Berulle etc. institutae.

3. Ex omnium consensu dicta tria vota ad substantiam status regularis spectant, unde et *substantialia* dicuntur. Haec quippe est conditio ejusdem, ut, qui illum amplectitur, *se totum DEO* consecret, pro Christo non sua tantum relinquens, sed etiam seipsum. Unde prout per votum paupertatis res atque spes suas temporales, ita per votum castitatis corpus, per obedientiam denique ipsum animum DEO in perpetuum holocaustum offert.

4. Quamvis vero omnes religiosi ordines quantum ad vota haec substantialia, et quoad finem principalem, tendendi scilicet ad christianam perfectionem, conveniant, in accidentibus tamen multum differunt, praesertim quoad haec duo:

*a)* Ratione finis, quem ordo aliquis *proxime* et singulariter sibi praefixit; et

*b)* in diversis mediis et exercitiis, quibus unaquaeque religio utitur tum ad vota substantialia exactius observanda, tum ad obtinendum finem sibi peculiarem. Sub ratione priori ejusmodi instituta in *contemplativa*, *activa* et *mixta* dispescuntur, dum nempe praeter observantiam votorum substantialium ex primaeva sua institutione vel ad rerum coelestium contemplationem, vel ad exercenda in alios opera misericordiae, vel denique ad utrumque finem simul ordinantur. Sub alia ratione religiones seu ordines in *clericales*, *monachales*, *mendicantes* et *militares* dividunt. Quia tamen hujus loci non est fusiorem horum ordinum descriptionem texere, nonnisi generales quasdam animadversiones subjungo, ex quibus tum interna status hujus praestantia, tum ejusdem utilitas appareat.

## §. 554.

### De praestantia status regularis.

1. Praestantia status regularis jam ex ipsa ejusdem notione patet, quippe qui aliud non est, quam vita consiliis evangelicis attemperata ad perfectionem christianam eo certius assequendam. Quapropter *professio religiosa*, qua quis se totum et quidem in omnem vitam DEO consecrat, nunquam non ceu actus singularis erga DEUM charitatis, ceu genus aliquod excellentissimi sacrificii, et tamquam summum devotionis culmen est habita, imo S. Hieron., S. Bernardus aliique probatissimi scriptores illam *secundum* quasi *baptisma* nuncupant. Hier. ep. 8. et 25. S. Bern. de praecept. et disp.

2. Praeterea felicissima haec vivendi ratio non tantum plerasque saeculi turbas, atque peccandi tum illecebras tum occasiones arcet, sed etiam innumera fere et efficacissima perfectionis subsidia suppeditat, qualia sunt e. g. quoti-

diana lectio spiritualis, meditatio et discussio conscientiae quotidie instituenda, frequentes preces, usus Ss. Sacramentorum, moderata corporis castigatio, et non intermissa sensuum custodia, confratrum, sive jam pie in Domino defuncti, sive adhuc superstites sint, pulcherrima exempla, superiorum vigilantia et adhortatio etc. Paucis, quae in reliquis hominum conditionibus ad nutriendum virtutis studium ex parte tantum, et quasi divisim occurrunt, in statu regulari, siquidem debita ibidem disciplina vigeat, collecta et integra reperimus.

3. Denique dubitari nequit, quin huic statui copiosissimae quoque gratiae affluant; DEUS etenim nostra generositate, qua nos totos ipsi impendimus, certe non vincitur. Imo diserta ejusdem promissa extant: „*Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum aut fratres propter me, et propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, et in saeculo futuro vitam aeternam.*“ Marc. 10, 29. et seq.

4. Utique „*non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.*“ Matth. 19, 11. Utcunque hoc vitae genus excellat, non tamen omnibus, sed iis tantum est accommodatum, qui vocati sunt a DEO. Absit, ut quis absque praevia vocatione, praecipiti consilio vel ex motivis mere temporalibus huic statui se intrudat, aut, quod ingens sacrilegium foret, ut animo reluctante ceu victima paternae tyrannidis eidem intrudatur. Verum etiamsi de superna vocatione sufficienter constare videatur, nullus tamen exspectet, se per ipsum ordinis ingressum jam in tuto positum, atque a tentatione immunem fore. Abundant quidem in sacerrimis his propugnaculis arma et subsidia; ast pugnae et certamina, quamdiu in mundo sumus, certe non deerunt; imo quo magis sors tua hosti infernali invidenda videtur, eo atrociores forsan illius assultus experieris.

*„Non est aliquis ordo tam sanctus, nec locus tam secretus, ubi non sint tentationes vel adversitates.“* De imit. l. 1. c. 13. Et vae ignavo militi, qui in tanta vincendi opportunitate victas fors manus praebet, vel omnino cum infensissimo hoste societatem init! Quo magis enim quisque in sublime elatus fuerit, eo gravior ruina, dum inde praecipitatur. Unde jam S. Aug. asseverat: *„Malo monacho neminem pejorem novi.“*

Est tamen pessima eorum illatio, qui, dum unum alterumve monachum degenerem vident, totum mox collegium, vel omnino universum regularium statum contemnendum ducunt. Practerquam enim quod ejusmodi homines in viris religiosis levissimam festucam pro ingenti trabe habere soleant, quo jure illud omnibus, et ipsi statui imputatur, quod nonnisi ab aliquibus regularis observantiae transgressoribus peccatum fuit? Quem non puderet, de perfidia Judae Iscariotis totum Apostolorum coetum criminari?

## §. 555.

De utilitate status regularis.

1. Vix non superfluum videtur multis verbis exponere, quanta in utramque rempublicam inde utilitas redundet. Monasteria etenim non tantum hominibus, qui se ad subliimiora vocatos sentiunt, certum perfugium praebent, ubi tuto latere, atque in christiana perfectione sine impedimento progredi possint; sed etiam mundo viva identidem vitae sanctioris exempla proponunt, atque suis tum precibus tum sacris functionibus publicae saluti insignem plane operam navant; ne quid de illis dicam, quorum praecipuus labor est erudire juventutem, assistere infirmis, aliisque tum spiritualibus tum corporalibus operibus misericordiae insudare.

Ipsi adversarii negare nequeunt, quam praeclare monachi nostris in regionibus de posteritate meruerint, utpote quorum

indefessis conatibus non tantum christianam religionem, sacras aeque ac profanas scientias, artes liberales, sed ipsam quoque terrae fertilitatem debemus, ut adeo ipso opere comprobaverint, quod Apostolus inquit: „*Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.*" I. Tim. 4, 8.

2. Pro coronide hujus tractatus verba cl. Leibnitii addo, qui prout ingenio, ita singulari quoque animi candore insignem sui memoriam reliquit: „*Fateor, mihi semper religiosos ordines, qui in sola catholica Ecclesia reperiuntur, mire probatos fuisse. Manifestum siquidem est, utiliter dari homines asceticos et contemplativos, qui semotis vitae curis domitisque voluptatibus in contemplationem divini Numinis, operumque ejus admirationem toti ferantur; vel etiam propriis negotiis soluti in hoc unum intenti sint atque excubent, ut aliorum necessitatibus succurrant, sive docendo ignaros aut errantes, sive egentibus atque laborantibus opem ferendo. Quid vero praeclarius esse potest, quam lucem veritatis per maria et ignes et gladios ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari? Interdicere sibi variis illecebris, atque ipsa jucunditate colloquii convictusque, ut contemplationi abstrusarum veritatum, ac divinae meditationi vacetur? Dedicare sese educationi juventutis ad spem doctrinae et virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis, in squalore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre, atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab effusae charitatis officio deterreri? Quicunque haec ignorant, aut spernunt, hi nihil, nisi plebejum et vulgare de virtute sapiunt etc.*" System. theol.

## II.

## DE ORATIONE.

### §. 556.

**Dispositio praesentis thematis.**

1. Ad christianam vigilantiam pertinet inprimis, ut ad statum nostrum moralem semper attenti simus, juxta illud: „*Anima mea in manibus meis semper, et legem tuam non sum oblitus.*“ Ps. 118, 109. Tum vero eadem vigilantia expetit, ut etiam hostes nostros, eorumque tum vires tum insidias rite explorare studeamus. Quem in finem exposui, quae nobis cavenda sint, ut hostiles incursus declinemus; vel ubi necessario congrediendum est, qua ratione ad imminentes pugnas nos praevie exerceri ac praemuniri oporteat. Verumtamen „*nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.*“ Ps. 126, 1. Unde praeter vigilantiam etiam *oratio* requiritur, id quod Dux et Redemtor noster JESUS Christus aperte adstruit: *Vigilate* et *orate*. Quapropter, etiamsi in ipsa Ethica sat multa de oratione dixerim, illam tamen hoc loco transiisse piaculum nullatenus ignoscendum foret.

2. Ast nullus mihi succensebit, si plura fors sub hoc titulo pertractem, quam quae oratio in sensu vulgari accepta complecti videtur; illam quippe in sensu nonnihil ampliori accipio, quatenus omnia illa exercitia comprehendit, quae plerumque ad *virtutem religionis* reducuntur. Haec porro exercitia in *ultronea* et *positiva* dispesci possunt, atque ipsa positiva sunt denuo institutionis vel ecclesiasticae vel proxime divinae.

3. Ad exercitia ultronea piam lectionem, meditationem et devotas preces refero. Ex iis, quae ab Ecclesia vel in-

stituta vel certe approbata fuere, sacri *ritus* et *sacramentalia*, prout vocantur, ex institutis vero divinis praesertim Ss. Sacramenta et sacrificium Missae eminent. Priusquam tamen spiritualem hanc palaestram ingrediamur, ad ejusdem limina nonnihil subsistere, et quaedam de devotione sensibili praefari expedit.

### §. 557.

De devotione sensibili.

1. Jam alibi ostensum fuit, genuinam charitatem erga DEUM, prout et orationem non in *affectione sensuum*, sed in *affectu animi* consistere, quo scilicet mens ipsa DEO se impendit et consecrat. §§. 194. et 201. Proinde veri nominis *devotio* haud necessario sensibilem cordis affectionem, sed, ubi de ejusdem essentia quaeritur, nonnisi promtitudinem animi involvit, seu, ut S. Thomas illam describit, *„est voluntas promte se tradendi ad ea, quae pertinent ad DEI famulatum.“* 2. 2. Q. 82. art. 1.

2. Attamen fieri nonnunquam solet, ut charitas, qua mens tota perfunditur, in ipsum quoque cor et corpus hominum piorum redundet, ut exclament cum Propheta: *„Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in DEUM vivum.“* Ps. 83. Vel ut idem vates alibi ingeminat: *„Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, cantabo et psalmum dicam.“* Ps. 56, 8. Et siquidem tales consolationes a DEO ipso infundantur, ad singularia divini Spiritus charismata pertinent: *„Fructus autem Spiritus est: charitas, gaudium etc.“* Gal. 5, 22. Attamen eaedem sensiones sine omni devotionis dispendio etiam deesse possunt, prout in ipso Redemtore exemplum absque comparatione summum conspicimus. Marc. 14, 33. et seq. Imo quo majori sen-

suum ariditate laboramus, eo magis vera mentis devotio vim suam exserere potest, ut nempe nuda et simplici fide suffulti non donis et consolationibus divinis, sed DEO soli inhaereamus, dicentes iterum cum Psalmista: „*Quid enim mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum: DEUS cordis mei, et pars mea DEUS in aeternum.*" Ps. 72, 25. et seq.

3. Quamvis ergo piae hujuscemodi affectiones devotionis essentiam haud constituant, absit tamen, ut illas contemnendas ducamus*). Potius, ubi a DEO nobis conceduntur, ad profectum nostrum praeclare serviunt. Harum quippe ope mens a voluptatibus terrenis abstrahitur, et earundem nauseam concipit, fitque, prout S. Bern. ait, „*ut, quod prius cum amaritudine et coactione tui spiritus faciebas, de cetero jam cum summa dulcedine peragas et delectatione.*" Serm. 3. de circumc.

4. Summopere tamen cuique cavendum est, ne coelestibus hisce deliciis abutatur. Hujusmodi abusus fere sunt: Siquis iisdem inordinate adhaerescit, ut non tam DEUM quam potius sensibiles ipsius favores expetat; item si exinde *vana de semet ipso complacentia* admittitur, dum quis tempore consolationis opinatur, pravas appetitiones omnes jam plane devictas, seque ad summum perfectionis culmen evectum esse. Hinc, ut de aliis pseudo-mysticorum somniis taceam, fieri solet, ut tales reliquis se sanctiores, et per omnia jam securos autument; ut spreto directoris consilio nonnisi proprium ingenium sequantur, et

*) Inter alias propositiones Mich. Molinos Innoc. XI. etiam sequentes damnavit: „*Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, male facit eam desiderando, et ad eam conando. Totum sensibile, quod experitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum et immundum.*"

semet per summam temeritatem in peccandi occasiones et pericula conjiciant etc. Pari modo errant, siquis totum virtutis negotium solis affectiunculis confectum arbitraretur, tempore orationis easdem vi, aliisve ineptis mediis ciere vellet, atque ubi conatus iste non ex voto succedit, tristis et dejectus ab ipsa oratione desisteret. Neque exempla desunt, naturam hisce suavitatibus inescatam ad ipsas carnis spurcitias proniorem evasisse, ita ut misera navicula, ductore sobrio destituta, atque ventis secundis nimium fidens pudendis scopulis impelleretur. Scilicet: „*Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis, acescit.*"

Praesertim de illis affectiunculis haec obtinent, quae non tam ex gratia, quam potius ex facili et mollicula natura proveniunt. Unde feminas sat multas invenies, quae, utcunque sensu devotionis exundare videantur, solida tamen virtute ut plurimum careant. Sunt pronae ad suspiria et lacrymas prae cordis teneritudine fundendas, multas quotidie preces recitant, saepissime pane angelico refici ambiunt etc.; ast domi suae contentiosae sunt, durae cervicis, lividae, criminatrices, et in omnibus sibi largiter indulgent. Sed frustra ex hujusmodi exemplis inferretur, *sensum* pietatis omni utilitate destitui, cum inter abusum et usum rectum ingens plane discrimen intercedat.

5. Quapropter ne coeleste pabulum, qua forte recreamur, in venenum vertatur, sequentes regulas addo.

*a)* Siquando supernae consolationes et dulcedines nobis obtingant, illas cum *summa semper humilitate* recipiamus, firmiter persuasi, non nostris ex meritis eas nobis conferri, sed ex sola DEI benignitate, qua nos utpote infirmos adeo et fragiles reficere, atque ad pugnas impendentes roborare dignatur.

*b)* Caveamus quoque, ne cor nostrum hisce deliciis nimis adhaerescat, ut vel piis exercitiis tantummodo ad

percipienda ejusmodi solatia incumbamus, vel dum iisdem fruimur, ipsius DEI benignissimi largitoris obliviscamur. Quanta ingratitudo, si per has ipsas suavitates, quibus DEUS tam paterne nos allicit, ab ipso nos avocari et retrahi pateremur!

*c)* Utcunque tempore talis visitationis super omnia terrena desideria nobis elevati videamur, ut cum Apostolo exclamare libeat: „*Quis nos separabit a charitate Christi?*" absit tamen omnis audacia et confidentia de nobis ipsis! Nam „*contritionem praecedit superbia, et ante ruinam exaltatur spiritus.*" Prov. 16, 18.

*d)* Potius, ubi hae deliciae affluunt, meminisse decet, eas, prout absque nostro merito nobis conceduntur, ita nec continuas fore. Pulcherrime iterum S. Bern.: „*Sic autem, quamdiu adest gratia, delectare in ea, ut non te aestimes donum DEI jure haereditario possidere; ne subito, cum forte retraxerit manum, et subtraxerit donum, tu animo concidas, et tristior, quam oportet, fias. Curabis potius, si sapis, in die malorum non immemor esse bonorum, et in die bonorum non immemor esse malorum. Ergo in die virtutis tuae noli esse securus; sed clama ad DEUM cum Propheta, et dic: Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*" Serm. 21. in Cant.

*e)* Praesertim satagere nos oportet, ut fines, ad quos favores hujusmodi conceduntur, pro viribus assequamur, ut scilicet mens nostra amore DEI magis magisque accendatur, et inter quaecunque obstacula viam perfectionis alacriter prosequi decernat.

*f)* Demum, ut S. Franc. Sal. Philotheam admonet, si majorem harum consolationum abundantiam, vel omnino aliquid experiaris, quod extraordinarium videatur, statum tuum fideliter humiliterque spirituali directori

detege, ut discas et intelligas, quae tibi agenda pariter et cavenda sint. Scriptum est enim: „*Mel invenisti; comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.*" Prov. 25, 16.

### §. 558.
De sensuum ariditate.

1. Quam parum in aethere vel in oceano eadem semper temperies atque malacia perdurat, tam parum in hac vita mens nostra pari et imperturbata semper sensuum tranquillitate gaudet. Omnes experimur, quae piissimus Job profitetur. „*Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et nunquam in eodem statu permanet.*" Job 14, 1. et seq. Hinc ubi suavissima Spiritus sancti aura te quasi sublatum, et coelesti ejusdem rore intime perfusum sentis; noli esse securus, sed in *die bonorum memor esto malorum.* Fiet enim, ut paulo post te totum aridum, desolatum et tenebris obvolutum ingemiscas, utque „*coelum, quod supra te est, aeneum, et terra, quam calcas, tibi ferrea*" videatur. Deut. 28, 23. Et eheu, quantam anima in hoc statu commiserationem meretur, praesertim si desolatio isthaec vehementior et diuturna fuerit! Tunc revera „*lacrymae ejus sunt ei panes die ac nocte, dum dicitur illi quotidie; Ubi est DEUS tuus?*" Ps. 41, 4.

2. Solent autem triplicem hujus ariditatis fontem allegare, prout jam Cassianus ad antiquam Patrum traditionem provocans loquitur. „*Tripartita nobis super hac, quam dicitis, sterilitate mentis tradita ratio est. Aut enim de negligentia nostra, aut de impugnatione diaboli, aut dispensatione DEI ac probatione descendit.*"

3. Et quidem a malo daemone internos hos cruciatus

repetunt, si taliter afflictus, quin causa naturalis concurrat, vanis simul timoribus consternatur, scrupulis et diffidentia, impudicis imaginibus, rancore aliisque vehementibus tum sensuum tum phantasiae agitationibus torquetur.

4. Contra talis ariditas nobismet ipsis adscribenda venit, si

*a)* ex deliciis nobis concessis fors vanam complacentiam, arrogantiam atque animi praesumtionem admisimus; tunc etenim, ut S. Franc. Sal. ait, DEUS has dulcedines eodem modo subtrahit, quo mater puello, quem lumbricis obnoxium novit, saccarum negat. Ista ariditas iterum nobis imputanda est,

*b)* si hasce consolationes ad fines a DEO intentos adhibere neglexirnus; *„omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem, qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo.“* Matth. 25, 29. Idem valet,

*c)* si admissa est aliqua perfidia contra inspirationes divinas. Dum scilicet anima dilecto sponso, ubi pulsat ad ostium, aperire cunctatur, ille transire solet, nec inveniri jam potest, nisi diu multumque expetitus. Cant. 5, 2. et seq.

*d)* Oritur haec ariditas ex aliis culpis atque defectibus praesertim notabilioribus, quibus quis gratiae invitanti immorigerum se exhibuit, et generatim ex inordinata adhaesione ad consolationes oblectationesque terrestres. *„Delicata siquidem consolatio est, nec omnino tribuitur admittentibus alienam. Errat, siquis coelestem illam dulcedinem huic carni, divinum illud balsamum huic veneno, chrismata illa Spiritus misceri posse hujus mundi illecebris arbitratur.“* S. Bonav. Idem de illis dicendum, qui curis et solicitudinibus hujus saeculi mentem suam distrahi et tur-

bari permittunt. Prout turbatus fons imaginem nostram non exhibet; ita nec inquietus animus in orationis speculo DEI claritatem potest conspicere. S. Laur. Justin.

*e)* Denique, ne prolixior sim, tales ariditates saepe ex *duplicitate animi*, atque ex subdola agendi ratione nascuntur, qua quis erga spiritualem directorem utitur. „*Quia abominatio Domini est omnis illusor, et cum simplicibus sermocinatio ejus.*“ Prov. 3, 32.

5. Ast etiam DEUS ipse mentibus singulariter dilectis ejusmodi tenebras immittit, illis praecipue, quas ad perfectionem sublimiorem elevare decrevit, ut nempe acerrimo hoc lavacro illas ab omni non solius carnis, sed etiam spiritus inquinamento depurget, atque in solida virtute magis exerceat, in humilitate praesertim, cordis munditie, patientia etc. Et quidem, ut nihil de extraordinaria Spiritus sancti directione dicam,

*a)* ad *initium vitae spiritualis* fieri consuevit, ut DEUS mentibus recens conversis dulces aeque ac abundantes consolationes elargiatur, adhuc pusillis nempe et teneris, quibus non solido cibo, sed lacte opus est, quo suaviter illectae a mundi voluptatibus abstrahantur, degustatoque coelesti manna viles Aegypti caepas fastidiant.

*b)* Ubi vero nonnihil profecere, illas ab his quoque deliciis successive desuefacit, ut non ob suavitatem gustus, sed ipsius causa ei inhaereant. „*Quem docebit scientiam? Et quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.*“ Isai. 28, 9.

*c)* Tumque alternis vicibus, prout pro infinita sua sapientia disposuerit, dilectas has animas nunc de novo recreat, ne forte deficiant in via; nunc iterum desolatas relinquit, tum ut infirmitatem et nihilum suum

identidem experiantur, tum etiam ut tanto firmiores in virtute radices agant.

6. Quapropter, in quantum ipsius nobis consilia scrutari concessum est, DEUS non aliter nobiscum agit, ac hortulanus, qui plantas adhuc teneras irrigare, et ab aura asperiori tueri solet; firmiores vero tempestati frigidoque aquiloni exponit, ut inter ipsos hos turbines plus roboris et viriditatis acquirant.

7. Ex quibus sequentes iterum regulae fluunt:

*a)* Primum est, ut suboriente tali ariditate diligenter quidem, seclusa tamen omni anxietate ac mentis perturbatione, in sensa et facta nostra indagemus, tumque fontem malignum, quem in nobismet ipsis forte deteximus, illico obstruere studeamus.

*b)* Si vero nihil in te deprehendas, quod singulariter ariditati huic ansam praebuisse videatur, sine ulteriori indagine, quantum potes, coram DEO temet humilia, indignitatem et miseriam tuam intima mente agnoscens. Ita et princeps Apostolorum: „*Humiliamini igitur sub potenti manu DEI, ut vos exaltet in tempore visitationis.*“ I. Petr. 5, 6. „*In veritate didici,*“ inquit S. Bern., „*nihil aeque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram DEO inveniaris non altum sapere, sed timere: Beatus homo, qui semper est pavidus. Time ergo, cum arriserit gratia; time, cum abierit; time, cum denuo revertetur.*“ Serm. 54. in Cant.

*c)* Haec tamen timiditas non ita intelligatur, ac si animum despondere atque mente dejici liceat. Potius firma in DEUM fiducia nunquam magis est necessaria, quam in hisce tenebris. Ad hanc igitur omni modo nos urgere conemur, et quamvis, omnia ad desperatio-

nem facta videantur, DEO tamen inseparabiliter innixi illud nobis usurpemus, quod S. Job dixit: *„Etiamsi occiderit me, in ipsum sperabo.“* Job 13, 15. Ex eadem ratione nihil eorum omittamus, quae nobis incumbunt; imo si fieri potest, et quatenus director spiritualis consentit, pia exercitia et alia bona opera augeri potius et multiplicari oportet, quippe quae praemium eo abundantius ferent, quo majori conatu intentionisque puritate a nobis peracta fuerint.

*d)* Insuper quam maxime expedit, ut in tali ariditate constituti nostrum confessarium adeamus, omnes cordis sinus atque recessus sincere illi pandentes, et ad exequenda ejus consilia parati plane ac morigeri. Ab experientia constat, quantum per humilem status sui expositionem cor compressum dilatetur; imo saepe accidit, ut subito nubilum omne dispellatur, redeatque serenum.

*e)* Denique quamvis peropportunum sit, ut clamemus ad Dominum: *„Redde mihi laetitiam in salutari tuo!“* vel: *„Pater, transeat a me calix iste!“* absit tamen omnis impatientia vel voluntas praefracta. Orationi nostrae semper illa summae resignationis verba subjungamus: *„Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat.“* Adeoque ipsius dispositioni nos totos permittentes, hoc unum expetamus, ut in ejusdem amore semper constantes simus. Etiamsi nobis per totam vitam nulla unquam consolatione vel dulcedine perfrui liceat, ipsi tamen quam firmissime adstipulemur, dicentes cum sponsa: *„Tenui eum, nec dimittam.“*

8. Errant igitur, qui, ubi hisce sensibus destituuntur, orationes et bona opera sua nullius apud DEUM meriti, et se ipsos a divina clementia derelictos autumant. Etenim,

ne quid de exemplis Sanctorum dicam, omnes pii scriptores consentiunt, et insuper aperta ratio suffragatur, nostram charitatem erga DEUM nunquam magis probari, quam dum in tanta sensuum repugnantia, atque in spissis hisce tenebris eidem inhaerere pergimus. Tum, ut aliquis ait, DEO nostris quodammodo stipendiis inservimus, atque conatus nostri ipsi eo acceptiores erunt, quo majori virium contentione nobis constiterant. „*Studeamus ergo in tanta rerum vicissitudine mentem semper constantem tenere! Esto, omnia circa nos in gyrum volvantur; nos tamen in DEI amore firmi ac immobiles stemus eodem fere modo, quo acus nautica inter quascunque tempestates suum semper polum spectat. Sive cor nostrum dulcedine vel moerore redundet; sive pax, superna claritas coelestesque deliciae illi affluant, sive tenebris obvolvatur, tumentesque tentationum fluctus illud exagitent; paucis, sive vivimus, sive morimur, semper Domini sumus, et quis nos separabit a charitate Christi?*" Vid. Philoth. P. IV. c. 13. et seq.

## A.

### SUBSIDIA ULTRONEA.

## Caput I.

*De pia lectione.*

### §. 559.

De methodo piae lectionis.

**1.** Piam lectionem omnes commendant, idque jure merito, cum multo facilius sit aliorum, qui virtute excelluerunt, sensus et cogitatus sequi, quam eosdem in semet

ipso excitare. Non tantum literae divinae, sed etiam scripta Sanctorum quodammodo epistolae sunt, a DEO et amicis ejus ex coelesti patria ad nos transmissae. Finem nobis ostendunt, ad quem facti sumus, et quo in terrestri hac peregrinatione omnes conatus nostri collineari debeant; pericula nobis et hostium insidias detegunt, efficacissima salutis media docent, et praeterquam quod intellectum instruant, etiam animus ex tali lectione piissimis sensibus imbui, atque ad virtutem vehementer accendi solet.

2. Attamen non quaevis lectio effectus hosce producit. Inprimis plurimum interest, *qua intentione* legatur, utrum ex mera curiositate sciendique cupidine, an vero ad excitandum studium pietatis. Unde, ut praedictam utilitatem sperare liceat, illud S. Bernardi observetur: „*Siquis ad legendum accedat, non tam quaerat scientiam, quam saporem.*" Eodem modo auctor de imit. loquitur: „*Veritas est in scripturis sanctis quaerenda, non eloquentia. Omnis scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est. Quaerere potius debemus utilitatem in scripturis, quam subtilitatem sermonis.*" L. 1. c. 5. Atque ex neglectu hujus regulae potissimum accidit, ut viri literati, etiamsi sacras paginas et Ss. Patrum volumina continuo perlustrent, piis tamen affectibus plerumque multo magis destituantur, quam humilis ruricola, qui DEO in cordis simplicitate deservire studet. Scilicet foliis inhiant, non fructibus; vel certe dum fructus laboriose disquirunt, ac eorundem condimenta et saporem observant etc., non comedunt, sed ratiocinantur, atque sic, ut S. Gregorius inquit, a mensa lautissima jejuni surgunt.

3. Alterum est, ut animo semper collecto, atque per humilem precationem ad DEUM elevato lectioni incumbamus. Lux enim superna, et pia mentis affectio non est partus naturae, sed effectus gratiae, cui proin recipiendae

animus adaptari debet, prout Ps. 94, 8. dicitur: „*Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*" Unde, dum ad lectionem accedimus, animo ad faciendam omnem justitiam parato semper et promto accedamus, dicentes cum Samuele: „*Loquere, Domine, quia audit servus tuus.*" I. Reg. 3, 10. „*Nam cum oramus, ipsi cum DEO loquimur; cum vero legimus, DEUS nobiscum loquitur.*" S. Aug. serm. 12. de temp.

4. Pari modo libri spirituales non raptim et praepropere, sed attente, mature atque iterato evolvantur; saepe sensum auctoris tum demum assequimur, ubi bis terve illum versamus. Prout ad scientiam, ita etiam ad pietatem valde conducit, ut multum quidem, non tamen multa legamus. Hunc in finem, ubi mentem nostram aliqua veritate suaviter attrahi et commoveri sentimus, lectionem jam non prosequi, sed tamdiu suspendere convenit, donec dapes appositae rite digestae, atque in succum et sanguinem conversae fuerint. Vesanum foret, siquis e silice ignem provocans ne tum quidem a percussione cessaret, ubi fomes scintillam jamjam conceperat.

5. Insuper ex lectione una alterave sententia colligatur, cujus postmodum saepius recorderis ad exemplum illorum, qui amoenum hortum ingressi, fasciculum sibi decerpunt, quem naribus iterato admoveant, vel, ut S. Ephrem suadet, adinstar apiculae ex floribus mel sibi colligentis.

## §. 560.

### De librorum delectu.

1. Non minorem solicitudinem librorum delectus efflagitat, ne forsan, dum ab obviis alimenta petimus, pro pane lapis, vel omnino venenatus scorpio nobis obtrudatur. Et quidem ab iis scriptionibus, quae sub ementito

nonnunquam ipsius devotionis titulo religionis atque Ecclesiae contemtum, vel etiam virtutem nonnisi naturalem commendant, superfluum foret lectorem denuo dehortari; paludes sunt, quae, quo magis ignibus, fatuis utique et ad fallendum compositis, intermicare videntur, eo pestilentiorem auram exhalant. Sed etiam ex libris probatis alter altero utilior invenitur, et insuper plurimum refert, quae sit legentis indoles, quo ingenio polleat, et quae sint spirituales ejusdem indigentiae. Liber etiam ex se optimus plus nobis detrimenti quam utilitatis afferet, si captui, internae dispositioni et viribus nostris non est attemperatus. Ad quid mihi vinum utcunque praestans, si in utres veteres mittitur? „*Alioquin rumpuntur utres, et vinum effunditur, et utres pereunt.*" Matth. 9, 17.

2. Itaque locum sine omni comparatione primum *literae divinae* occupant, utpote in quibus „*non verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum DEI*" reveremur. I. Thess. 2, 13. Attamen exinde haudquaquam sequitur, lectionem sacrae scripturae promiscne et obvio cuique esse commendandam. Inprimis enim Christus ipse Apostolis suis non, ut omnia *conscriberent*, imperavit, sed ut *docerent*, quaecunque illis mandaverat. Matth. 28, 20. Pari modo fidelibus non, *ut legant*, praecipitur, sed ut Apostolos et legitimos successores illorum *audiant*. „*Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.*" Luc. 10, 16. Dein negari nequit, in sacris Bibliis sat multa occurrere, quae „*sunt difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem.*" II. Petr. 3, 16. Ut nihil de peregrinis loquendi formulis, de notionibus archaeologicis aliisque difficultatibus dicam, jam ipsa mysteria, quae ibidem referuntur, intellectum nostrum multum transcendunt. Quam pronum igitur, ut, dum haec lectio omnibus indiscriminatim conceditur, nnus-

quisque divina oracula ad sensum suum privatum detorqueat, inveniatque ibidem dogmata quisque sua! Quid porro non est timendum, ubi ingenium pervicax, spiritus contradictionis, vel alius inordinatus affectus mentes disjicit, et turbulentas reddit? „*Memento, neminem haereticum esse, qui non secundum scripturas praedicare ea, quibus blasphemat, mentiatur.*“ S. Hil. L. ad Imp. Const. Easdem fere querelas S. Aug. movet: „*Non enim natae sunt haereses, nisi dum scripturae bonae non intelliguntur bene, et quod in eis non bene intelligitur, etiam temere et audacter asseritur.*“ Tract. 18. in Joann. Juvat adhuc verba S. Hier. huc transferre, quibus lectionem promiscuam perstringit. „*Quod medicorum est, promittunt medici, tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant! Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes inter mulierculas de sacris literis philosophantur! Alii discunt, proh pudor! a feminis, quod viros doceant. Et ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imo audacia, edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt.*“ Epist. ad Paulin.

3. Hinc sapientissimo Ecclesiae consilio cautum est, ne sacra Biblia in lingua vulgari passim et sine discrimine legantur. Scilicet, prout regula IV. indicis Conc. Trid. habet: „*Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua, passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexe-*

*runt ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.*" Sicut prudens paterfamilias res prae reliquis pretiosas non obvio cuique, sed illis tantum tractandas permittit, quorum fidem et dexteritatem sat cognitas tenet; ita Ecclesia quoque divinum hunc thesaurum iis subtrahit, qui illum non, ut decet, reverentur. „*Nolite dare sanctum canibus; neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.*" Matth. 7, 6. Et ne quis dicat, hanc Ecclesiae providentiam nonnisi statui vitiato saeculi XVI. accommodatam, nostra vero aetate superfluam esse, ita ut modo sacri libri in linguas vulgares transscripti omnium manibus offerri queant; legantur verba gravissima Pii VII. ad Archiep. Gnesens. et Mohilev., ubi technae societatum biblicarum pari cum perspicacia deteguntur reprobanturque. Quae tum a Jansenistis, tum a compluribus modernis, praesertim a Leandro van Ess, corrasis undique sententiis Ss. Patrum in contrarium afferebantur, ita semper dilucidata fuerunt, ut inter viros catholicos lis omnis cessare debeat. Brevitatis causa lectorem ad clarissimos viros Binterim et Molkenbuhr remitto, qui testimonia ab Essio citata ita percensuerunt, ut omnis iniquitas, quae praesentem Ecclesiae disciplinam caluminari audet, os suum oppilare cogatur.

Inter alias assertiones Quesnelli etiam sequentes a Clemente XI. damnatae fuere: „*Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi, studere et cognoscere spiritum, mysteria et pietatem sacrae scripturae. — Lectio sacrae scripturae est pro omnibus. — Interdicere lectionem sacrae scripturae, praesertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis.*"

4. Ast sancta DEI Ecclesia hanc circa sacras literas sepem ideo tantum exstruxit, ne obvii quique per suam vel imperitiam vel temeritatem pascua ibidem virentia conculcarent. Ast eadem piissima mater vehementer optat, ut nos sacerdotes in evolvendo S. volumine assidui simus. Sit igitur sacra scriptura enchiridion nostrum, in quo meditemur die ac nocte; sit quotidianum manna, ad cujus suavitatem deliciarum, quas libri profani nobis propinant, facile obliviscamur; sit denique penus nostra, unde semper depromere possimus, quod ad alios instruendos aut flectendos faciat. Nam „*omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus.*“ II. Tim. 3, 16. et seq.

5. „*Post scripturas sacras doctorum hominum tractatus lege, sed illorum duntaxat, quorum doctrina nota est. Non necesse habes, aurum in luto quaerere.* S. Hier. ad Fur. Imo, dum de animo *ad pietatem* excolendo agitur, auctores, quos legimus, non tantum doctrina, sed singulari quoque virtute emineant. Optimum profecto est consilium, quod Oberrauchius suggerit, ut nempe libri potissimum *Sanctorum*, vel certe *auctorum pietate praestantium* legantur. „*Si hoc solum aliquibus persuadere possim,*“ inquit, „*id pro abundantissimo hujus scriptionis fructu aestimarem. Legantur libri illi a scientia, ab eruditione, demum ab eloquentia et elegantia commendati adeo; legantur, inquam, minime adversor; sed interiora tua, ac praecipuam mentis affectionem nonnisi ad Sanctorum, aut fere Sanctorum praecepta compone. Alii, etsi summi videantur, fallunt quandoque, et saepius falluntur ipsimet; solum, quod a gratia proficiscitur, tutissimum est. Et quamvis ad eorum ardores et unctionem*

*percipiendam saepe idoneus aut dignus non sis; securus tamen semper eris, salubre esse, quidquid ex iis biberis. Non omnibus calorem et suavitatem, cuique tamen securitatem praestant. Etiamsi scriptores alii in rebus moralibus longe doctiores, et verae fidei pie addicti sint; illos tamen sensus non habent, quos Spiritus divinus instillat; motus gratiae a natura discernere nequeunt, et non paucos invenies, quibus verbum crucis vix non stultitia videtur; scilicet tales ad lucernam solius rationis res discutiunt; illi vero ad solem gratiae, quae illuminat simul et calefacit. Opus vere spirituale nemo scribere poterit, nisi ipsusmet valde spiritualis sit.*" Vid. Oberrauch Tom. II. §§. 600. et seq.

6. Praecipue ad acuendum perfectionis christianae studium *historiae atque res gestae Sanctorum* faciunt, illorum praecipue, qui idem nobiscum vivendi genus tenuere, et insuper a nostro tempore non adeo distant. Equidem in omnibus, qui olim singulari sanctitate inclaruerunt, Evangelium vivis quasi coloribus expressum videmus, et ad ipsorum virtutes imitandas allicimur; attamen, quo propius illorum et nostrae vitae rationes cohaerent, eo magis quoque ad sequenda eorundem vestigia incitamur.

Quam indefessos nos sacerdotes in lectione sacrae scripturae esse oporteat, paulo ante memoravi. Pari modo lectio atque studium *Ss. Patrum* nos exerceat, utpote ex quibus praeter multiplicem eruditionem etiam genuinam verbi divini, tum scripti tum traditi, notitiam, et sacerrimos religionis pietatisque sensus hauriemus. His opera illorum accedant, quae vel a Sanctis exarata, vel saltem ita conscripta fuerunt, ut ex Ecclesiae sententia viam ad coelum sub omni ratione tutam doceant. Quantopere demum exempla sanctorum praesulum et sacerdotum ad aemulandam charitatem nos provocarent, si attentius illa expenderemus! Huc, ut nonnisi aliquos adducam, praesertim spectat vita S. Caroli Borrom.,

S. Francisci Sal., S. Vincentii a Paulo, S. Liguorii etc. etc. Generatim quid est sacerdos, quem librorum et piae lectionis piget? Qua ratione ignorantes instruere, arguere contradicentes, moestos solari, atque munia sua, praesertim Sacramentum poenitentiae rite administrare poterit, nisi multa et attenta lectione semet ipsum in dies perficiat? Quantis porro periculis propriae salutis exponitur, qui vel otiatur, vel res et scriptiunculas nonnisi ludicras tractat! Sacerdos sine utili lectione non incongrue militi sine armis, avi sine pennis, et equo sine frenis comparatur.

## §. 561.

De aliis subsidiis huc pertinentibus.

1. Prout sensus pietatis lectione hunc in finem instituta nutriri solent, ita magis etiam et efficacius excitantur, si aeternas veritates viva voce prolatas excipimus. Hinc Ecclesia omni tempore vehementer instititit, tum ut, qui curam animarum gerunt, verbum DEI sedulo annuntient, tum ut fideles pia semper aviditate illud excipiant. Vid. Conc. Trid. de reform. Sess. V. c. 2. Sess. XXIII. c. 1. Sess. XXIV. c. 4. Dum igitur eadem sacra synodus cavit, ne divina Biblia passim et ab ipsa plebe legantur, procul abfuit, ut populo christiano verbum DEI subtraheret, prout Acatholici calumniantur; sed id unum expetiit, ut divina oracula intemerate, atque per legitimum semper Ecclesiae magisterium dispensarentur. Quare ad praecipua virtutis subsidia spectat, ut verbum DEI, dum in concione vel catechesi publice praedicatur, reverenter et sincero pietatis studio excipiamus, non attendentes, a quo vel quam diserte illud proferatur, sed quid nobis inculcetur, atque ad exemplum B. V. conservantes illud conferentesque in corde nostro. „*Qui ex DEO est, verba DEI audit.*" Joann. 8, 47.

2. Sub aliqua ratione huc etiam pia colloquia, et de-

vota spiritualium rerum collatio referri possunt, *maxime ubi pares animo et spiritu in DEO sibi sociantur*, ut de imit. dicitur l. 1. c. 10. Cavendum tamen, ne fors in periculosa deverticula degenerent. §. 223. Et siquidem tales conventus clam, et animarum pastore inscio vel invito instituantur, certe non solidam pietatem promovent, sed tum rectae fidei, tum morum integritati perquam infesti fieri possunt.

Quanti tumultus inter Protestantes ob ejusmodi *conventicula pietistica* orti fuerint, ex illorum historiographis patet. Vid. Duttenhofer: Freimüthige Untersuchungen über Pietismus.

## Caput II.

### *De meditatione.*

### §. 562.

De ejusdem utilitate.

1. Meditatio, qua veritatem aliquam perpendimus et scrutamur, in *speculativam* et *practicam* dividitur. Prior aliud non intendit, quam ut *cognitio* nostra perficiatur, e. g. dum Theologiae studens veritates revelatas ad definitos conceptus redigere allaborat. Practice vero meditamur, si hanc veritatis indaginem ad excitandos pios affectus, atque ad promovendum studium virtutis dirigimus. Quantae utilitatis practica isthaec veritatum aeternarum perscrutatio sit, non tantum concors omnium sententia, sed ipsa quoque ratio evincit. Etenim undenam tanta vivendi licentia descendit, quam Ecclesia, piissima mater nostra, tam lugubriter deplorat? Respondent aliqui, hanc esse malorum originem, quia *vera fides* magis magisque dispareat. Neque inficias ibo, hanc accusationem in locis celebrioribus, et in illa hominum classe, qui se literatos dicunt, nimium quan-

tum fundatam esse. Attamen pars longe maxima, utcunque dissolute vivant, religionis tamen dogmata profitentur, atque veritatibus revelatis firmiter adhaerent. Ast easdem veritates *haud perpendunt*, et propterea ita conversantur, quasi non crederent; scilicet: „*Desolatione desolata est omnis terra, quia nullus est, qui recogitet corde.*“ Jer. 12, 11. Quid terribilius *inferno*, de cujus existentia nulli Catholicorum dubitare licet? Et nihilominus, qui hanc veritatem nunquam considerant, ita plerumque vivunt, ac si nihil sibi timendum esset. Fides illorum igni non absimilis est, qui in silice latet quidem, attamen tamdiu inefficax manet, donec repetitis ictibus eliciatur. Contra quanta dogmatum nostrorum vis et efficacia foret, si a fidelibus iterato, et justa semper cum attentione ruminarentur! „*In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.*“ Eccli. 7, 40. Idipsum plane de viva et repetita meditatione DEI omnipraesentis, infinitae majestatis ejusdem, passionis et mortis Christi, aliarumque fidei veritatum obtinet.

2. Quodsi vero meditatio tantum confert, ne statu gratiae excidamus, multo adhuc magis requiritur, ut ad majorem perfectionem eluctemur. Quapropter tum Ss. Patres, tum pii scriptores unanimiter affirmant, aërem verberare, quisquis sibi blanditur, sese absque frequenti meditatione perfectionis verticem conscensurum esse. Idquod ipsa quoque ratio dictat. Experimur enim quotidie, quod Sap. 9, 15. dicitur: „*Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.*“ Unde ne mens nostra tepefiat, vel rerum terrenarum pondere inflectatur, aliud certe non restat, quam ut illam saluberrimo hoc exercitio de novo identidem erigere, atque flammae alias extinguendae nova quotidie alimenta subjicere studeamus.

Et haec quidem de *via ordinaria* atque de iis, qui meditari *possunt*, dicta sunto. „*Spiritus enim, ubi vult, spirat.*“ Proinde si DEUS T. O. animas praedilectas per vias extraordinarias ad se attrahit, leges, quae nonnisi viam communem definiunt, hoc ipso cessant. Sic etiam quoad eos, qui ad perfectionem quidem serio anhelant, attamen ad meditandum vel ob ingenii hebetudinem, vel ex praesenti sua dispositione prorsus inepti sunt, lumina et ardores, quibus indigent, per alia media aliquatenus suppleri possunt, nempe per piam lectionem, per attentam auscultationem verbi divini, per repetitas preces et suspiria, per frequentiorem usum orationis vocalis etc.

En consilium S. Franc. Sal. „*Si spiritus tassus fuerit, utere libro, id est, lege paululum et tum meditare; postea lege rursus et aliquantisper, ac denuo meditare, usque dum horae dimidium effluxerit. Mater Theresia ab initio ita processit, et prospero quidem cum successu. Cumque confidentius loquamur, dicam, id a me quoque fuisse tentatum, nec male successisse. Regutae loco tibi habeto, meditationis gratiam nulla spiritus violentia acquiri posse; sed dulcem et humilitate plenam perseverantiam ad eam requiri.*“ Vid. ejusd. Epist. P. II. l. 5. lit. 4.

3. Praesertim rationes mox allatae iterum nos sacerdotes urgent, ut gratiam DEI, quae est in nobis per impositionem manuum, ope meditationis quotidie resucitare satagamus, ne forte et nobis contingat, ut, quos ministros Christi et dispensatores mysteriorum DEI esse oportet, efficiamur „*nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae etc.* Jud. 12. Consilium, quod S. Hieron. Celantiae suggerit, unusquisque nostrum etiam sibi dictum existimet: „*Eligatur tibi opportunus, et aliquantulum a familiae strepitu remotus locus, in quem veluti in portum, quasi ex multa tempestate curarum te recipias, et excitatos foris cogitationum fluctus secreti tranquilli-*

*tate componas. Tantum sit divinae legis studium, tam crebrae cogitationum vices, tam firma et pressa de futuris cogitatio, ut reliqui temporis occupationes facile hac vocatione compenses. Nec hoc ideo dico, quod te retraham a tuis; imo id agimus, ut ibi discas, ibique mediteris, qualem tuis praebere te debeas.*"

## §. 563.

### De praeparatione ad meditationem.

1. His praemissis potissimas meditationis partes, et aptam ejusdem methodum percensere juvat. Itaque partem primam *praeparatio* constituit, juxta illud Eccli. 18, 23.: „*Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat DEUM.*" Haec porro praeparatio in *remotam* et *proximam* dividitur. Illa generatim in legitima affectuum moderatione, firmoque virtutis studio residet; *animalis enim homo non percipit ea, quae sunt spiritus.* De hac tamen in praesenti non agimus. Praeparatio proxima, postquam materiam attente lectam in certa puncta disposueris, vivam inprimis DEI memoriam, tum vero humilem petitionem pro impetranda divina gratia, denique materiae, quae expendenda venit, aptam propositionem complectitur.

2. Primum igitur est, ut viva et firmissima fide DEUM nobis praesentem cogitemus, in quo nunquam non vivimus, et movemur et sumus. Atque sic in ejusdem praesentia constituti omni, qua possumus, humilitate et reverentia ipsum adorare conemur, aliud non expetentes, nisi ut tantae majestati nos totos impendamus. Et quia „*omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum;*" hanc ipsam gratiam pie meditandi humiliter ab ipso efflagitemus. Sacra scriptura abundat ejusmodi precatiunculis. E. g. „*Ne projicias me, DEUS, a facie*

*tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me etc. Illumina faciem tuam super servum tuum, et considerabo mirabilia de lege tua. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam etc. etc.* Tertio demum suadent, ut materiam, quam ex praevia lectione vel undecunque hausisti, ope imaginationis, siquidem fieri possit, ad vivum tibi proponas, non aliter, ac si mysterium, quod perpendere cogitas, revera coram te perageretur. Idquod, dum e. g. novissima nostra, vitam, passionem et mortem Christi etc. meditamur, facillime procedit. Quodsi materia sensus inferiores et phantasiam superat, tales imagines utique spiritum retardarent potius, quam proveherent. Attamen ejusmodi meditationes, sublimes adeo, nonnisi perfectiorum propriae sunt, quibus volatus jam liberior concessus fuerit. S. Franc. Sal. insuper consulit, ut praevie Angeli tui custodis et Sanctorum, qui in proposito mysterio occurrunt, recorderis, illorumque assistentiam implores.

## §. 564.

### De ipsa meditandi methodo.

1. Taliter accinctus jam ipsam meditationem aggredere, cujus denuo haec praecipue puncta observabis. Primo materiam vel veritatem propositam attente, atque ex omni parte considera, tum ut ejusdem notitiam, quantum fieri potest, claram et perspicuam acquiras, tum ut firmissimam de illa persuasionem animo concipias. Plerumque in hoc negotio multum juvamur occurrentes circumstantias attendendo juxta notum versiculum: *„Quis, quid, ubi, quibus aut quantum, cur, quomodo, quando.“*

2. Ubi in hac veritatis discussione aliquid spiritualis saporis, luminis et fructus inveneris, ipsi jam inhaerebis, ad exemplum apum, ut S. Franc. Sal. inquit, quae florem

non deserunt, quamdiu mel, quod colligant, ibidem repererint. Si vero in uno puncto, postquam aliquamdiu illi inhaeseris, fructum non invenias, transibis ad alterum, ita tamen, ut non cursim et praecipitanter, sed mature semper progrediaris.

3. Generatim omnis indagatio ita instituatur, ut non in meram speculationem, sed in pios semper animi affectus desinat, seu juxta verba Psalmistae, ut *in meditatione exardescat ignis.* Huc praecipue spectant affectus doloris de peccatis nostris, humilitatis, timoris et contemtus nostri, fiduciae, gratitudinis et charitatis erga DEUM, vel quoscunque demum Spiritus divinus ex veritate perpensa excitare dignatus fuerit.

4. Tertia et ultima meditationis pars bonis propositis, quae concipiuntur, et piis precibus constat, quibus tum peccatorum veniam, tum novas a DEO gratias exoramus. Et quidem *bona proposita*, quae formamus, non sint nimis generalia, sed circumstantiis et casibus, quales probabiliter nobis imminent, solicite attemperentur. Jacula praevisa minus feriunt. Quo magis ergo tempore meditationis contra singulas tentationes per diem occurrentes te praemunieris, eo facilius erit, ut illas vel declines, vel vincas.

Cavendum tamen, ne homines vel infirmi adhuc, vel scrupulis agitati casus valde lubricos vel solito graviores sibi imaginentur, ad quorum intuitum sensus animales multum irritantur. Praesertim in materia turpi periculosissimum est, ejusmodi casus et occasiones sibi proponere; potius imaginatio ab omni spurcitia illibata servetur, atque generatim humiles ad DEUM preces dirigantur: „*Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.*"

5. His itaque propositis oratio fiducialis tum ad DEUM, et Mediatorem nostrum J. Chr., tum ad B. V. aliosque

Sanctos coronam imponat. Tum, prout de pia lectione dixi, etiam ex veritate modo perpensa fasciculum tibi colliges, quem per reliquam diei partem tecum feras. Quem in finem, etiamsi necessarium non sit, auctores tamen graves suadent, ut lumina, quae tibi concessa fuerunt, facilioris recordationis causa chartulae commendes.

6. Ex quibus sufficienter patet, vanum esse horrorem, quo sat multi usum meditandi sibimet plane impossibilem imaginantur. Quis demum est, qui in negotiis hujus temporis, ubi de captando lucro, vel de avertendo aliquo damno agitur, suas allegare rationes, in rerum circumstantias indagare, atque certas inde agendi regulas deducere nesciat? Cur ergo non idem in negotio salutis suae aeternae poterunt? Quis se insufficientem dicat, ut vel novissima sua, vel mysteria Christi pro nobis patientis pie ruminet, atque convenientes inde affectus et firma emendationis proposita concipiat? Revera historia homines penitus illiteratos et simplices virgunculas exhibet, quibus pium hoc exercitium facillimum videbatur, eoquod, ut S. Theresia advertit, ad meditationem aliud non requiratur, nisi amor.

7. Alii distractiones causantur, quibus, dum meditari volunt, se turbatos sentiunt. Ast hae distractiones plerumque nonnisi ex defectu debitae praeparationis proveniunt; et quidquid sit, „*evagatio mentis, quae fit praeter propositum, orationis fructum non tollit.*“ Ita S. Aug. Tum vero monitum S. Greg. exequamur: „*Saepe in ipso orationis sacrificio importunae se cogitationes ingerunt, quae hoc rapere vel maculare valeant, quod DEO immolamus. Unde Abraham, cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aves pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos, cum in ara cordis holocaustum DEO offerimus, ab immun-*

*dis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus et perversae cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino utiliter sperat.*" Mor. l. 16. c. 29.

8. Iis denique, qui animae siccitatem et internam desolationem obtendunt, jam supra responsum fuit. Ipsis equidem permitti, imo et suaderi potest, ut meditationem, quae in hoc statu tam difficilis accidit, pia lectione compensent; generatim tamen falluntur existimantes, aride meditari idem esse, ac tempus perdere. Potius ubi taliter desolati sese humiliant, atque divinae voluntati se totos committentes proposita sua et preces sicco modo concipiunt, hae meditationes prae illis erunt frugiferae, quas antehac cum suavissima sensuum abundantia peregerant.

Ad querelas talium, „*se omni sensu destitutos instar saxorum statuarumve coram DEO assistere*," vir in dirigendis animabus egregie versatus respondet: De hoc ipso gaudendum vobis est, quod coram DEO juxta beneplacitum ejus statuarum munere defungi possitis. Num non et milites idem faciunt, in principis obsequium excubias agentes? Sufficit, ut semper memores sitis, vos in ipsius praesentia versari, utque ipsius voluntati per firma animi decreta, utcunque arida et insipida videantur, ex integro vos permittatis. Cf. Philoth. P. II. c. 9.

## §. 565.

### De materia vel objecto meditationis.

1. Innumera plane sunt, quae, si attentius considerentur, mentem nostram piissimis erga DEUM sensibus replent; nam „*coeli enarrant gloriam DEI, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*" Ps. 18. Et Redemtor ipse, ut ad filialem nos fiduciam erigat, hortatur, ut volatilia coeli et lilia agri consideremus. Matth. 6, 26. Attamen multo efficacius illae veritates animum hominis interpellant, quae nobis per christianam revelationem inno-

fuerunt; immensa scilicet charitas, qua DEUS sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, et quae sunt reliqua novi Test. mysteria, quae ibidem panduntur. Unde prout Apostoli, ita etiam Sancti subsequentium temporum nihil sibi scire videbantur „*praeter JESUM Christum, et hunc crucifixum.*“ Horum vestigiis insistens et ego illis tantum materiis immorabor, quae immediate ad regnum gratiae spectant. Etiamsi enim invisibilia DEI, sempiterna ejus virtus et divinitas per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciantur; sola tamen natura semet ipsam nunquam transcendet; imo nisi quis jam praevie sublimiora meditari didicerit, ejusmodi considerationes mere naturales aliud non erunt, quam pabulum, quo vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitae nutriatur. „*Omnia munda mundis; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia.*“ Tit. 1, 15.

2. Ast etiam veritates revelatae tot atque tantae sunt, ut iisdem pro merito expendendis ipsa aeternitas vix sufficiat. „*Sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit DEUS iis, qui diligunt illum.*“ 1. Cor. 2. 9. Quare nonnisi summas horum mysteriorum species allego.

3. Itaque quaedam harum veritatum proxime timorem vel spem nostram excitant, aliae vero jam suapte indole divinum amorem in nobis accendunt, tum illum, quem amorem *gratitudinis*, tum etiam, quem *charitatem* dicunt. Ad priorem classem praecipue *novissima nostra* pertinent, quorum consideratione mens nostra salubriter concutitur, ut discusso rerum fugacium nimbo felicitatem aeternam anhelet. Ad classem vero alteram mysteria incarnationis, vitae, passionis J. Chr., instituta ab eo Sacramenta etc., et ipsam denique Divinitatem refero, cujus infinita majestas, boni-

tas, sapientia et reliqua attributa expendi nequeunt, quin mens nostra piissimos charitatis, gratitudinis, gaudii, admirationis etc. sensus concipiat. Denique etiam illae meditationes ex regno gratiae descendunt, quibus quis gesta, victorias et subsecutos triumphos *Sanctorum* revolvit.

4. Ex tanto igitur thesauro unusquisque eas sibi materias depromat, quae ex consilio directoris indoli suae, gradui perfectionis, ad quem jamjam enisus fuerit, pugnis et tentationibus, quas experitur, et reliquis temporum adjunctis maxime accommodatae videntur. Et generatim quidem ruminatio novissimorum praecipue *neoconversis et incipientibus* expedit, quorum corda plerumque veritatibus tam terrificis praevie e lethali suo torpore excitari et emolliri debent; quamvis frequenter necesse sit, ut etiam perfectiores hinc inde ad has easdem veritates revertantur. Aliquando tamen ne ipsos quidem tyrones diu circa novissima detinere licet, ubi nempe talis illorum indoles detegitur, ut amore potius quam timore attrahantur, et praecipue ubi inordinatus exinde pavor vel molesta anxietas nascitur. Unde spirituali directori multa prudentia et sagacitate opus est.

5. Materiam omni tum indoli tum statui hominum attemperatam historia *Christi patientis* constituit. Ex hujus meditatione divinus amor et primas scintillas concipit, et nutritur, et ad majorem semper perfectionem urgetur. Haec ergo, ut primum animus de lethargo suo expergefactus suique compos redditus fuerit, praecipuum meditationum nostrarum thema sit. Praeterquam enim quod nihil ad excitandos ardentissimos affectus efficacius inveniatur, exinde etiam uberrimae in nos gratiae depluunt. In his, ut Oberrauch. Inquit, in vita scilicet et morte DEI-Hominis, iniquus melioris vitae initia, justus progressus sui certissima adjumenta, et perfectus plenam consummationem, atque in-

termicante ubique Divinitate materiam sublimissimae contemplationis reperit. Ipse enim „*via est, et ostium, et nemo venit ad Patrem*," prout ipsusmet testatur, „*nisi per me.*" Joann. 14, 6. Juvat in hanc rem sententiam S. Franc. Sal. afferre: „*Inprimis illam orationem mentalem tibi commendo, quae circa vitam et passionem D. N. J. Chr. versatur. Hujus frequenti meditatione mens tua illo replebitur, ipsius agendi modum addisces, et omnes tuas actiones huic normae conformare studebis. Ipse est lux mundi; ab ipso igitur et per ipsum illustrari debemus; est arbor desiderii, sub cujus umbra nos refrigerari oportet, est denique fons vivus Jacob, quo omnes nostrae maculae abluantur. Prout pueri cum matre identidem conversando balbutiendoque illius linguam et loquelam imitantur, ita et nos, dum continuò Salvatorem nostrum meditamur, juvante ipsius gratia, discemus successive loqui, agere et velle, prout ipse. Hic ergo pedem figamus, nec enim per aliam, nisi per hanc portam, ad Patrem pervenitur. Sicut vitrum effigiem nostram non exhiberet, nisi retrorsum stanno obductum esset; ita nec Divinitas a nobis in hac vita conspici potest, nisi juncta et unita humanitati Salvatoris nostri. Simul ipsius vita et mors tale objectum sunt, quo nullum nobis convenientius, suavius, deliciosius et pro meditatione ordinaria utilius datur. Non frustra igitur etiam sub hac ratione p a n i s, q u i d e c o e l o d e s c e n d i t, vocatur. Prout enim panis ad omnes reliquos cibos adhiberi solet, ita etiam in omnibus orationibus et actionibus nostris adsit semper et consideretur Salvator divinus.*" Philoth. P. II. c. 1. *).

*) „*Doceatur igitur anima devota in hoc speculo se contemplari, quoties orat, laborat, patitur. Dicere sibi assuescat: Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat;*

§. 566.

De tempore et aliis adjunctis meditationis.

1. Ex communi omnium sententia huic exercitio tempus praecipue matutinum aptatur; tum enim recuperato per nocturnam quietem tum corporis tum animi vigore, atque silente adhuc rerum terrestrium tumultu ad ponderandas aeternas veritates praeprimis dispositi erimus, et simul contra tentationes per diem occurrentes optime praemunimur. *„Da Domino primitias diei; erit enim tota ejus, qui prior occupavit.“* Joann. Clim. Clauso itaque super te cubiculo tuo, vel ubi templum adire potes, prostratus ibidem coram Ss. Sacramento meditationem alacriter semper ordire, vel ubi per molestiam vere gravem impediris, illam, quo citius fieri potest, per diem supple.

2. Dum de tempore quaeritur, generatim ratio habenda est tum occupationum, quibus quis detinetur, tum etiam virium et facilitatis. Prout nefas foret, dum tempus longius impenditur, munera et officia status exinde negligere; ita etiam caveri debet, ne aut caput debilitetur, aut frangantur vires. Expedit tamen, ut unusquisque certum tempus sibi determinet, quod postmodum ex rationibus nonnisi gravissimis decurtari patiatur.

3. Quodsi per totam diem nulla meditandi opportunitas concedatur, hunc defectum precibus eo frequentioribus, quas jaculatorias dicunt, pia lectione aliisve spiritualibus exercitiis supplere studeas.

4. Finita meditatione animum non subito, sed suaviter atque ita ad negotia quotidiana transferas, ut balsa-

---

*tali animo erat, cum in simili occasione, in quali ego nunc versor, versabatur. Eja fac secundum exemplar, quod in hac imagine tibi monstratur. Enimvero sic itur ad astra.“* Fr. Neumayr.

mum, quod in oratione collegisti, non effundatur, sed potius inter quascunque occupationes animum recreare pergat; alias enim et tu comparaberis *„viro consideranti vultum nativitatis suae in speculo; consideravit se, et abiit, et statim oblitus est, qualis fuerit."* Jac. 1, 23. et seq.

## Caput III.

### *De piis precibus.*

### §. 567.

De precibus matutinis et vespertinis.

1. *„Meditatio docet, quid desit; oratio, ne desit, obtinet. Illa viam ostendit; ista deducit; meditatione denique cognoscimus imminentia nobis pericula; oratione evadimus."* S. Bern. Quia vero de oratione atque diversis ejusdem speciebus, prout etiam de cultu et invocatione Sanctorum jam in Ethica dixi, hoc loco nonnisi de piis quibusdam exercitiis agam, quae ut nulla die omittantur, plurimum interest. Hujusmodi sunt preces matutinae ac vespertinae, et pii affectus per diem saepius repetiti. Quae quidem exercitia efficacius commendare vix possum, quam verba S. Chrysost. afferendo, quibus generatim affirmat: *„Arbitror cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit, absque precationis praesidio cum virtute degere, cumque hac hujus vitae cursum peragere. Etenim qui fiat, ut quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, et supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem suppeditat et largitur?"* L. 1. de or. D.

2. Ast superfluum duco, pensum istud omni mane et vespere DEO persolvendum fusius exponere, cum ejusdem methodus obvia sit, et omnium proborum usu firmata. Quod vero harum precum utilitatem attinet, conf. §. 209.

## §. 568.

### De frequenti DEI praesentis memoria.

1. Quantae utilitatis frequens DEI praesentis memoria sit, textus sacer iterato enuntiat. Abrahamo dicitur: „*Ego Dominus omnipotens; ambula coram me et esto perfectus.*“ Gen. 17, 1. Praesertim divini Psalmi hoc saluberrimum exercitium identidem commendant. „*Quaerite Dominum, et confirmamini; quaerite faciem ejus semper. Providebam Dominum in conspectu meo semper. Oculi mei semper ad Dominum. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum etc.*“ Ex Ss. Patribus solum S. Greg. Naz. audiamus: „*Ut corpus animae, rami arboris trunco, solares radii soli uniti esse debent, ut ab illis virtutem suam trahant; ita mente DEO uniti esse debemus. Accedite ad eum, ait Propheta, et illuminamini, et facies vestrae non confundentur. Nec enim tam saepe spiritum ducere, quam DEI meminisse debemus.*“ Orat. de cura paup. Imo ut idem S. doctor alibi asseverat, vel hoc solo medio, siquidem in constantem usum deducatur, homo ad perfectionem evehitur.

2. Et profecto quae alia ratio ab omni peccato magis nos retrahit, quam viva recordatio, DEUM judicem et vindicem nostrum nobis esse praesentissimum? „*Dic mihi, si tibi semper prope principem standum esset, annon cum timore adstares? Adeoque quando comedis, cogita praesentem DEUM; adest enim. Quando dormiturus es, quando irasceris, quando deliciaris, et quidquid tandem feceris, cogita, adesse DEUM.*“ S. Chrys. hom. 8. ad Philipp. 2. Non minor hujus cogitationis vis est ad excitandam in nobis charitatem, atque ut inter quoscunque hostium insultus cursu non impedito ad destinatum perse-

quamur, *ad bravium supernae vocationis DEI in Christo JESU.*" Philipp. 3, 14. Quid milites non pertentant, ubi sub oculis regis vel principis sui proeliantur? Quo igitur animo nos decertare oportet, quibus DEUS non tantum spectator adest, sed etiam „*protector, et merces magna nimis?*" Gen. 15, 1. Quis non cum fortissimo Davide exclamet: „*Quoniam in te eripiar a tentatione, et in DEO meo transgrediar murum. Non timebo mala, quoniam tu mecum es?*" Ps. 17. et 22.

3. Hunc in finem pii scriptores pro diverso captu hominum diversos quoque DEUM sibi repraesentandi modos commendant. Et prima quidem methodus est, qua quis ope imaginationis Christum dilectissimum Redemtorem sibi praesentem sistit, ubi denuo aliqui magis afficiuntur, dum ipsum jacentem in praesepio, vel inter brachia Matris virgineae spectant; alii illum tormentis subditum, vel e cruce pendentem; alii ut pastorem, medicum, vel magistrum considerare malunt etc. Ast quidquid genio tuo magis arrideat, exercitium hocce insignem prorsus utilitatem afferet, et simul superatis initiis facillimum esse consuevit, cum amanti utique grave non sit dilecti capitis identidem meminisse.

4. Alius modus est, ut *ope fidei* DEUM ubique praesentem cogitemus. Praxis excellens plane et nunquam satis commendanda. Exinde enim mens nostra filiali timore tenerrimaque charitate repletur, cauta, solicita, atque ad omnes suos actus attenta redditur, ne ipsi displiceat; vel saltem ejusdem, qui omnia scrutatur et perlustrat, districtum judicium pertimescit. Qui in hoc exercitio magis profecerunt, etiam in rebus, quas sensibus usurpant, ubique divinae tum sapientiae tum benignitatis vestigia detegunt, ex iis, quae facta sunt, quasi totidem gradibus ad Creatorem ascendentes. Cf. Philoth. P. II. c. 13.

5. Profectioribus denique praesertim consulunt, ut DEUM in ipsis cordis sui penetralibus habitantem cogitent. „*Nescitis, quia templum DEI estis, et Spiritus DEI habitat in vobis?*“ I. Cor. 3, 16. Prout reges terreni, etiamsi totam inhabitent aulam, singulare tamen conclave tenent, ubi res subditorum disponant: sic et DEUS, quamvis nullibi desit, peculiari tamen modo in corde justorum tamquam in charissimo solio residet. Huc igitur nos identidem reverti, atque ex rerum mundanarum strepitu sicut turtur in nidum suum nos recipere oportet.

6. Absit tamen in his exercitiis omnis vel anxietas, vel defatigatio cerebri; sed potius suaviter et animo penitus tranquillo in usum deducantur. Insuper, prout per se patet, haec DEI memoria non per modum studii, sed devote semper, et animo coelestibus intento fiat.

## §. 569.

### De piis adspirationibus.

1. Quodsi frequens DEI recordatio rite instituatur, affectus ita eliciti piae adspirationes, vel etiam preces jaculatoriae dicuntur, suntque ardentes quodammodo evibrationes, quibus DEO nunc indubitatam fidem, nunc spem et fiduciam, nunc charitatem, nunc dolorem de peccatis, vel quae demum cunque virtutis sensa testamur. Tertullianus illas *orationes sine agmine verborum*, S. Laur. Justin. vero easdem „*opus spiritualis arcus*“ vocat; „*sagittas contra adversarios directas; ignita vota, quae a Christi militibus in coelum destinantur; eminus feriunt, celeriter emittuntur, hostem non sinunt accedere, et ascensorem frequenter unico prosternunt ictu.*“ De int. confl. c. 10. Hinc non mirum, hoc orandi genus a viris doctrina et sanctitate conspicuis semper plurimi habitum fuisse. Dum enim mens ad DEUM identidem anhelat, tentationes

facillime vincuntur, intellectus coelesti lumine imbuitur, erigitur affectus, inflammatur voluntas, quidquid in nobis terrenae adhaesionis et deformitatis est, paulatim detergitur, atque, dum hanc desideriorum frequentiam nobis familiarem reddimus, ipsos quodammodo Beatos in coelo aemulamur, vel, ut S. Chrys. ait, „*per hunc ascensum societatem effugimus, quam cum brutis animantibus habemus, et copulamur cum Angelis.*“ De orando DEUM l. 1. Quapropter juxta S. Franc. Sal. tales adspirationes, ubi rite ac saepissime excitantur, defectum aliarum orationum equidem supplere, ipsae vero nulla alia ratione suppleri possunt. Orationes etiam protractae, et ardentissima meditatio parum proderunt, nisi tempore intermedio animus frequenter sursum dirigatur.

2. His ergo oratiunculis, quisquis christianae perfectionis avidus est, pro viribus assuescat, ut cor suum et voluntatem ad DEUM erigere conetur die ac nocte, domi et foris, sedens et ambulans, et in omnibus suis negotiis, quippe quae exinde uon turbantur, sed perficiuntur potius, et expeditiora fiunt. Non quidem diffiteor, hanc praxim ab initio difficilem videri; natura enim instabilis et terrenis inhians frenum istud et cálcar divini amoris valde refugit. Ast labor omnia vincit, et cum laudabilis haec consuetudo firmiter stabilita fuerit, quasi in naturam transibit, ita ut rebus divinis eadem prope facilitate intendas, qua spiritum et auram attrahis.

3. Quamvis porro optandum sit, ut ejusmodi suspiria ex corde flammis divinae charitatis succenso et quasi ignito prorumpant, absit tamen, ut tempore spiritualis ariditatis omittantur. Utcunque hoc tempore frigida et vacua videantur, proderunt tamen, dummodo conatus tui perdurent.

4. Tamqnam praecipuos fontes harum adspirationum Card. Bona designat considerationem coelestis patriae, vi-

tae praesentis taedium, desiderium pertingendi ad Christum, admirationem divinae bonitatis, sapientiae, justitiae etc., dolorem de admissis culpis, affectum humilitatis, gratitudinis, amoris etc., passionem et mortem Salvatoris etc. etc. Atque horum affectuum materia desumi potest vel ex sacra scriptura, vel ex scriptis Ss. Patrum, aliorumve auctorum pietate praestantium, vel demum ex proprio affectu et devotione nniuscujusque. Praesertim divini Psalmi talium precationum feracissimi sunt, quibus quasi totidem igniculis corda nostra accendantur.

5. Quod denique adspirationum *ordinem* concernit, amoris foecunditas, vel potius Spiritus divinus, qui in electis mentibus ingemiscit et agit, semet nulla quidem certa lege vel serie contineri patitur. Generatim tamen aliae plerumque sunt adspirationes incipientium, aliae proficientium, aliae perfectorum. Incipientibus praecipue conveniunt: Horror inferni, detestatio peccatorum, divinorum judiciorum timor, petitio veniae, agnitio propriae vilitatis, et qui sunt alii hujus generis affectus. Proficientes ad imitationem Christi et Sanctorum, ad gratitudinem, ad omnimodam sui abnegationem, atque ad assequendas convenientes statui suo virtutes sese attractos sentiunt. Perfectorum denique praecipui affectus sunt: Gaudium spirituale, admiratio divinae majestatis, charitas, ingens desiderium, ut sanctificetur nomen, et adveniat regnum DEI etc. etc.

Praeclarum plane est opusculum a Card. Bona hunc in finem editum sub titulo: „*Via compendii ad DEUM etc.*," ubi auctor vere Eminentissimus, ne divinus ignis, prout ipse inquit, ex defectu lignorum in ara cordis exstinguatur, ex sacra scriptura et Ss. Patribus tripartitam adspirationum silvulam collegit, triplici statui, incipientium nempe, proficientium, et perfectorum accommodatam.

## §. 570.

### De cultu B. V. et Sanctorum.

1. Quamvis de hoc cultu jam §.§. 246. et seq. egerim, mihi tamen temperare non possum, quin ejusdem de novo meminerim. Et inprimis quidem omnes, qui de pietate solide, ac juxta mentem Ecclesiae catholicae tractant, cultum Matri virgineae impensum ceu efficacissimum perfectionis subsidium referunt. Imo sat vulgaris illorum opinio viget, singularem pietatis affectum erga B. V. ad signa et characteres praedestinationis spectare. „*Per ipsam quippe DEUS descendit in terram; et per ipsam homines ascendere merentur in DEUM.*“ S. Aug. serm. de nat. Generatim quos sensus Ss. Patres de ipsa habuerint, vel ex iis locis patet, qui ex Ss. Athanasio, Basilio, Leone M., Augustino, Hieronymo, Chrysost. etc. per annum in breviario occurrunt.

2. Et sane, prout tantum innocentiae atque perfectionis *exemplum* maximam in mentes nostras vim edit, ita etiam dubitari non potest, Matris apud Filium intercessionem fore longe efficacissimam. Insuper quantum Mater piissima exoptabit, ut pretiosissimus sanguis Christi uberrimos redemtionis fructus ferat! Quam maternam igitur curam impendet, ut clientes sui de infirmitatibus, quibus deprimuntur, feliciter emergant, atque ad convenientem perfectionem eluctentur!

3. Revera ex Ss. confessoribus, quos modo cum Christo regnantes veneramur, vix ullum reperies, qui non etiam singularem devotionem erga B. V. foverit. Brevitatis causa S. Bernardum, et ex saeculis propinquioribus Ss. Franciscum Sal., Philippum Nerium, Theresiam etc. allegasse sufficiet.

4. Eadem *suo modo* de cultu et invocatione Angelo-

rum atque Sanctorum obtinent. Quam alacriter contra omnes tentationes dimicabimus, vel, ubi infeliciter prostrati sumus, mox iterum resurgemus, quando nos continuo Angelorum conspectui expositos meminimus, atque ingens illud gaudium consideramus, quo afficiuntur *super uno peccatore poenitentiam agente!* Luc. 15, 10. Quantum tum peccati horror, tum studium in virtute proficiendi acuetur, si Angelum nostrum tutelarem, nostrum ubique comitem, hortatorem atque testem cogitamus! Egregium est consilium, quod Seneca Lucilio commendat: „*Aliquis vir bonus nobis eligendus est, et semper ante oculos habendus, ut sic, tamquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus. Maxima pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistat.*“ Ep. 11. Et ecce, nobis opus non est, ut tale quid effingamus, quippe qui revera credimus, DEUM Angelis suis mandasse de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris.

5. Pari modo, ut Kempensis hortatur, „*intuere sanctorum Patrum vivida exempla, in quibus vera perfectio refulsit et religio. Heu, quid est vita nostra, si illis fuerit comparata!*“ De imit. l. 1. c. 18. Etiamsi vero omnes, quibus Ecclesia ob comprobatam illorum sanctitatem religiosum cultum assignavit, venerari, atque eorum tum sectari vestigia, tum suffragia deposcere deceat; multum tamen expedit, ut Sanctos, quorum nomen in baptismo tibi impositum fuit, vel etiam alios quosdam in patronos singulares eligas, quorum proin virtutes singulari studio imiteris, ut, prout ipsi imaginem Christi, ita tu imaginem illorum in te efformes.

## §. 571.

### Appendix de exercitiis spiritualibus.

1. Ad finem hujus tractatus illorum adhuc exercitio-

rum meminisse convenit, quae subsidiorum, de quibus hucusque dixi, vix non omnium breve quodammodo compendium exhibent. Haec quippe exercitia in *sacra aliquot dierum solitudine* consistunt, qua quis seclusis hujus temporis turbis et negotiis veritates aeternas omni, qua potest, attentione meditari, interiora sua exactius discutere, vitae melioris proposita concipere, vel jam prius concepta restaurare, eaque tum continuatis precibus, tum devota Sacramentorum poenitentiae ac Eucharistiae perceptione sancire, et quasi obsignare satagit. S. Bern. illa ita delineat: „*Haec est forma studii spiritualis, ut sapienter disponamus praesentia nostra, recogitemus in amaritudine animae nostrae praeterita, futura quoque solicite provideamus.*"

2. Jam ex hac descriptione perspicitur, quanta horum exercitiorum sit utilitas tum ad conversionem feliciter auspicandam, tum etiam ut gratia, quae diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, statis temporibus resuscitetur. §. 548. Idquod experientia abunde confirmat. Quem enim latere potest, quot emolumenta ex hac sacra solitudine in rem christianam redundaverint, praesertim ex quo S. Ignatius Loj. illam ad definitam aliquam, et egregiam plane formam redegerat? Hinc etiam summi Ecclesiae antistites iis, qui vel ad sacros ordines promoveri, vel in religione aliqua professionem emittere cupiunt, haec praevia exercitia diserte imperant. Pari modo religiosi jam professi, ne primam charitatem fors relinquant, quotannis illa repetere jubentur. Insuper Ecclesia vehementer optat, imo propositis indulgentiis etiam allicit, ut idipsum etiam a reliquis fidelibus, praesertim a clericis et sacerdotibus fiat *). S. Franciscus Sal. similitudinem ab horologio re-

*) Pro dioec. Brixin. vid. constit. synod. tit. 10. n. 3.

petit; quod non tantum per singulos dies de novo intendi suisve ponderibus restitui, sed semel saltem per annum etiam dissolvi debet, ut rubigo, quam forte contraxit, auferri, et ferramenta, si laxata et continuato usu detrita fuerint, restaurari queant. Pari modo, inquit, et nos praeter exercitia quotidiana semel saltem per annum cor nostrum intimius perscrutari, appetitus et affectus illius accuratius inspicere, et quidquid ibi hiulcum vel corruptum invenerimus, reparare oportet etc.

3. Quodsi haec exercitia publice cum populo peragantur, sub nomine *sacrarum missionum* veniunt. Etiamsi alia argumenta deessent, earundem efficacia ad restituendam morum honestatem jam ex eo colligi posset, quia hostes et adversarii regni divini tam vehementer contra illas infremiscunt *).

---

## B.

### SUBSIDIA PER ECCLESIAM SUBMINISTRATA.

### §. 572.

#### Notae praeliminares.

1. Subsidiis hucusque recensitis jam illa subjungo, quae sancta atque catholica Ecclesia vel praescripsit, vel certe approbanda censuit. Et quidem vix institutum aliquod ad pietatem conducens excogitari potest, quod ab ecclesiastica auctoritate sancitum vel confirmatum non fuerit. Huc praecipue spectant: Instituta ab Ecclesia festa, aliaque sacrata tempora, jejunia, et generatim quae sub notissimis quinque Ecclesiae praeceptis continentur; concessae indulgentiae, piae peregrinationes etc.; item piae sodalitates et

*) Cf. Riccardi: Dei mezzi di promuovere l'educazione religiosa. C. 5.

congregationes, quarum finis est, ut earundem membra tum propriam perfectionem, tum aliorum salutem junctis fraterne viribus provehant; sacri conventus et diversa exercitia, quibus cultus divinus, memoria Christi patientis, devotio erga B. V., erga Sanctos, et pia recordatio fidelium defunctorum promoventur; et ne fusior sim, huc demum sacri ritus, ceremoniae, benedictiones, et ea omnia referuntur, quae sacramentalia dicimus.

2. Quia de his omnibus tractare nimis prolixum, et de aliquibus superfluum foret, utpote de quibus per decursum jam egi; hoc loco nonnisi de sacris ritibus et sacramentalibus disseram. Ne tamen reliqua neglexisse videar, generales quasdam regulas subjungo.

*a)* Quidquid Ecclesia interposita sua auctoritate praecepit, filialem nostram obedientiam, et quidquid approbandum existimavit, nostram saltem reverentiam postulat. „*Qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.*" Luc. 10, 16.

*b)* Etiamsi praeceptis Ecclesiae *qua talibus* satisfiat, quamprimum illorum litera observatur; ipsa tamen ratio urget, ut etiam spiritui et intentioni Ecclesiae obsecundare studeamus. Unde quisquis in virtute progredi cogitat, praeter literam etiam spiritum et mentem Ecclesiae pro viribus assequi connitatur.

*c)* Quodsi vel temporum injuria, vel per homines malignos aliqui hinc inde abusus irrepsere, hos non Ecclesiae, sed illis tantum adscribere decet, qui bono tritico ejusmodi zizania superseminarunt, vel etiam rem optimam pessime adhibent. Ne igitur ob fortuitos abusus sanctiones et praxes per se utilissimas contemnas; sed potius ita te gerito, ac si monetis pretiosis per homines impostores adulterinae fuissent immixtae; tunc enimvero spurias quidem repudiares, ge-

nuinas vero prout antea usurpare pergeres. Praeterea jam alibi dixi, ne genio mundano, dum ubique nonnisi abusus et superstitiones videt, facile credamus; etiamsi enim spectris perquam infestus videatur, illa tamen ubivis captat.

*d)* Quantum ad exercitia, quae ab Ecclesia quidem probata, nullatenus tamen praecepta sunt, illud servetur, quod de imit. l. 1. c. 19. dicitur: „*Cavendum, ne piger sis ad communia, et ad singularia promtior; sed expletis integre et fideliter debitis et injunctis, si jam ultra vacat, redde te tibi, prout devotio tua desiderat. Non possunt omnes habere unum exercitium; sed aliud isti, aliud illi magis deservit.*"

## Caput I.

### *De sacris ritibus et ceremoniis.*

### §. 573.

#### De eorum fine et utilitate.

1. Finis ceremoniarum, quae tum in sacrificio Missae, tum in administratione Sacramentorum adhibentur, est, ut et tantorum mysteriorum majestas commendetur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis pietatisque signa ad rerum altissimarum, quae sub ipsis latent, contemplationem excitentur. Ea quippe natura hominum est, ut sine adminiculis exterioribus ad invisibilia et divina plerumque attolli nequeat. Conc. Trid. Sess. XXII. c. 5. de sacrif. M. Hinc plerique horum rituum natales suos ex disciplina et traditione ipsius aetatis apostolicae repetunt, prout viri in rebus ecclesiasticis versatissimi, e. g. Bellarmin. Reginald. Soto, Gerbertus, et praeter complures alios novissime Binterim irrefragabiliter demonstrarunt *).

*) Vid. Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christkatholischen Kirche rc. von Anton Jos. Binterim. Mainz 1825 folg.

2. Jam ex his summa sacrorum rituum utilitas, imo et necessitas patet. Idquod etiam populorum consensus, et universalis experientia testatur. Et quo tandem Protestantes devenerunt, postquam cultum induxere omni fere ritu exteriori et pompa vacuum! Ipsi sagaciores inter illos nostro aevo iterato conquesti sunt, sacra sua magis magisque vilescere, et vix non proletaria fieri, eoquod omnis in illis dignitas et exterior apparatus desiderentur.

3. Ut vero fines ab Ecclesia intenti reapse obtineantur, opus est, ut fideles sensum harum ceremoniarum sufficienter intelligant, et simul ut per decentiam, qua sacrorum ministri easdem obeunt, nova illis dignitas concilietur.

## §. 574.

### Regulae practicae.

1. Primum itaque est, ut sensus et significatus sacrorum rituum fideli populo sat perspicue explicentur, idquod Conc. Trid. quoad ea, quae in Missa peraguntur, apertis verbis inculcat. Sess. XXII. c. 8. de sacrif. M. Alias enim fieri solet, ut, dum vulgus soli cortici inhaeret, non tam devotio, sed vana potius oblectatio et curiositas foveantur.

2. Praecipue tamen nobis, qui divino ministerio fungimur, cavendum est, ne ipsimet illud contemnere videamur. Et illis quidem, qui receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus vel impune contemni, vel pro libitu omitti, aut ab unoquoque in alios converti posse asseverant, Conc. Trid. diserte anathema dicit. Sess. VII. can. 13. Verum etiam illi fidem et pietatem populi evertunt, inimicos autem Domini blasphemare faciunt, qui in tractandis sacris irreverenter ac luride versantur. Dum sacerdos inter ipsa sanctissima mysteria nil nisi frontis audaciam, levitatem

oculorum, ceremoniarum incuriam, et animum quaquaversus dissipatum prae se fert; quid mirum, si etiam adstantes omnis devotionis expertes maneant, vel omnino ad conspectum talium ministrorum de veritate religionis vacillent, dicentes: *Ubi est DEUS eorum?* Quare ut scintilla pietatis in nobis aeque ac aliis excitetur, atque in coelestem denique flammam surgat, praecipua nostra cura sit, ut *sancta* semper *sancte* administremus. Nihil in nobis appareat, quod non modestia, gravitate, decentia et religione plenum sit. Tum sane dicteria et irrisiones, quibus haeretici ac infideles cultum nostrum onerant, facile cessabunt, quippe quibus aliud respondendum non erit, nisi: *Venite et videte* *).

## Caput II.

### *De sacramentalibus.*

#### §. 575.

Notio illorum et efficacia.

1. Sub nomine *sacramentalium* tum suffragia et benedictiones Ecclesiae, tum etiam res ipsae taliter benedictae, atque pia exercitia intelliguntur, quibus sacra auctoritas singulariter patrocinatur. Compellantur vero hoc nomine vel ex eo, quod ad efficienda et administranda Sacramenta adhiberi soleant, prout e. g. formatio crucis, orationes, benedictiones et exorcismi; vel quod virtutem et efficaciam Sacramentorum aliquo modo imitentur, ut aspersio aquae lustralis, usus rerum ab Ecclesia benedictarum, tunsio pectoris etc. Communiter sex illorum species enumerantur, quas sequens versiculus exhibet. Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

---

*) Vid. Fr. Neumayr: Vir apostolicus: De Missae sacrificio.

2. De plerisque horum antiquissima Ecclesiae primaevae vestigia extant, e. g. de formatione crucis, de exorcismis etc. Neque mirum, si illa in vera Christi Ecclesia semper magni habita fuisse legimus. Praeterquam enim quod ejusmodi pia exercitia, et prudens rerum benedictarum usus jam suapte indole animum ad devotionem disponunt, publica totius Ecclesiae tum auctoritas tum intercessio additur. Dum e. g. sacrorum minister nos resve nostris usibus inservientes benedicit, vel supplices pro nobis ad DEUM preces fundit, hoc suo munere *nomine totius Ecclesiae* fungitur. Cum igitur Ecclesia ipsa apud dilectissimum sponsum suas pro nobis preces interponat; quis de vi et efficacia sacramentalium dubitare ausit? Quantum fidem et fiduciam nostram augeri oportet, dum cogitamus: „*En, non ego tantum, sed tota mecum Ecclesia, et ego cum ipsa precor!* Quanta porro hisce suffragiis impetrandi vis erit, siquidem iisdem rite utamur, et ea, quae petuntur, ad salutem nostram conducant! Inter alia doctores nostri sub hac ratione sacramentalibus vim adscribunt delendi peccata venialia. Vid. S. Thom. P. III. Q. 87. art. 3.

3. Et hos quidem sacramentalium effectus, ni fallor, omnes, saltem qui Catholici videri volunt, facile admittent. Verum alia adhuc illorum efficacia superest. Scilicet ex constanti sensu Ecclesiae sacramentalia etiam ad arcendas infringendasque mali daemonis infestationes ordinantur. Quem in finem has duas propositiones subjungo:

*a)* Mali daemones, ex naturae suae perversitate ad nostram semper perniciem intenti, tum virtuti nostrae tum etiam felicitati temporali sese infestos exhibent.

*b)* Et Ecclesia his illorum infestationibus praeter alia arma nunquam non etiam sacramentalia opposuit.

### §. 576.

Continuatio.

1. Diabolum hominum *virtuti* insidiari, jam alibi ostensum fuit. §. 126. Unde, ut brevitati studeam, hoc loco sufficiet, aliquos textus citasse. Scilicet Matth. 16, 18., ibid. 13, 39., Luc. 8, 12., ibid. 22, 31., Joann. 13, 2., Act. 5, 3., Eph. 6, 11., I. Petr. 5, 8. Porro constans non Judaeorum tantum, sed etiam Christianorum semper traditio fuit, diabolum malis etiam temporalibus abuti, quibus homines, DEO sic permittente, divexet. Vid. Jab cap. 1. et 2. Ps. 77, 49., Tob. 3, 8. Ex novo autem Test. omnes illi textus huc faciunt, ubi tum in Evangeliis, tum in actibus Apost. de *possessis* agitur. Difficile non est illos refellere, qui in hisce locis morbos nonnisi naturales adstruunt, vel de ipso Redemtore effutire non timent, quasi semet nonnisi temporis illius praejudiciis accommodaverit. Vid. Liebermann: Inst. theol. Tom. III. De Angelis malis. Imo tempore adhuc Tertulliani hae daemonum infestationes adeo frequentes fuere, ut in Apolog. c. 23. Imperatorem et Romanos publice provocaverit: „*Edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem a daemone agi constet; jussus a quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se daemonem confitebitur de vero, quam alibi deum de falso. Nisi se daemones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite.*“

„*Sed cur talia non etiam nostro tempore contingunt?*“ Ad hanc quaestionem generatim responderi potest: „*Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate.*“ Attamen non incongrue illud reponimus, quod vir quidam ingeniosus ait: *Auceps, quo certius aviculas irretiat, quantum potest, se abscondit.*“ Nostrae aetati, quae tantopere de ingeniorum cultura et perspicacia

gloriatur, nihil est perniciosius *infidelitate;* ast haec ipsa infidelitas subverteretur, siquidem daemon, prout olim, ita et nunc homines vi tam aperta impeteret.

2. Haec daemonis molimina magis adhuc comprobantur ex non interrupto sensu Ecclesiae, quae idcirco fideles nunquam non adhortata est, ut fortes in fide illi resisterent, iisque hunc in finem, ne quid de aliis spiritualibus armis dicam, *sacramentalia* suppeditavit. Vel quis ignorat, inde ab Apostolis ad nostra usque tempora *exorcismos* semper in usu fuisse? Quid insuper omnia Ecclesiae occidentalis aeque ac orientalis ritualia habent? Quem denique Ss. Patrum invenies, qui huic Ecclesiae praxi non plane consenserit? Quodsi ergo reliquis Ecclesiae doctrinis, utcunque rationi nostrae imperviae videantur, adstipulandum ducimus; quis adeo effrons erit, ut solo saeculi cultioris obtentu huic totius Ecclesiae sensui refragari audeat?

## §. 577.

### De justo illorum usu.

1. Quia homines novaturientes, ut sacramentalia publico contemtui exponant, identidem de abusibus et superstitionibus conqueruntur, paucis exponam, qua ratione illis juxta mentem et intentionem Ecclesiae uti debeamus. Et generatim quidem

*a)* ita illa adhibeamus, ut fides et fiducia nostra, gratitudo, dolor de peccatis aliique pietatis sensus nova semper fomenta nanciscantur. Quam ob rem meminisse oportet, Ecclesiam ipsam in hisce saluberrimis ritibus suas pro nobis preces interposuisse, ut infirmitati nostrae succurreret.

*b)* Absit tamen in eorundem usu omnis fiducia temeraria, omnisque superstitio. Quoties igitur ad pellendum aliquod malum media naturalia suppetunt, haec quo-

que rite adhibeantur; scriptum est enim: *„Non tentabis Dominum DEUM tuum.“* Et quantacunque sacramentalibus efficacia adscribatur, haec tamen illis non est intrinseca, sed tota ex divino beneplacito pendet, quatenus nempe tum Ecclesiae tum nostras supplicationes in casu aliquo occurrente exaudire voluerit. Nam saepe nescimus, quid petamus; et generatim omnia huc transferri debent, quae §.§. 199. et seq. de oratione dixi.

*c)* Praesertim etiam quoad sacramentalia *omnis fraus, turpis quaestus*, et quidquid religionem dedecet, solicite caveri debet, nihilque fiat, quod ab Ecclesia approbatum non fuerit.

2. Hisce pauca monita in gratiam sacerdotum adjicio:

*a)* Inprimis itaque, prout in reliquis curae pastoralis officiis, ita etiam quoad sacramentalia *praxim et pietatem illorum sequere, qui in Ecclesia tum doctrina tum sanctitate quovis tempore inclaruerunt.* Quapropter cave, ne tibi illis *sapientior* videaris, et contemnas vel negligas, quae ab ipsis probata, et in usum deducta fuere; sed etiam noli esse *nimium credulus*, et in commendandis adhibendisque subsidiis his spiritualibus, siquidem per legem sacram sancita non fuerint, *importunior*, quam illos fuisse constat. Vana credulitas tum sacerdotem ipsum multis deceptionibus exponit, tum etiam plurimorum malorum fons esse consuevit. Homines simplices exinde in erroneis suis conceptibus obfirmantur; sagaciores vero una cum detecto abusu saepissime usum etiam rectum fastidiunt.

*b)* Dum armis hisce spiritualibus revera locus datur, alia non adhibeantur, quam quae ab Ecclesia fuerint approbata. Quod speciatim *exorcismum* attinet, seu

obtestationem divini Numinis ad pellendas daemonis incursiones, ipsius usus saltem solemnis, excepta administratione baptismi, nulli sacerdoti conceditur, nisi ab Ordinario facultatem obtinuerit. Vid. Lit. encycl. Congreg. S. Off. de 5. Jul. 1710.

c) Quoties necessarium videtur, fideles, dum talia illis impenduntur, simul instrui oportet, quae sit ex mente Ecclesiae rerum sacratarum, benedictionum etc. indoles, et qua ratione, ut vere proficiant, iisdem semper utendum sit.

d) Demum per se patet, quam indignum foret, si sacerdos, dum petentium votis satisfacit, popularium favores, vel nominis celebritatem, vel quodcunque demum emolumentum temporale captaret. „*Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum DEI existimasti pecunia possideri.*" Act. 8, 20.

---

# C.

## SUBSIDIA POSITIVO-DIVINA.

### §. 578.

#### Conspectus.

1. Tandem illa christianae perfectionis subsidia perlustranda nobis sunt, quae proxime ex instituta per Christum salutis oeconomia redundant. „*Venit enim Filius hominis quaerere, et salvum facere, quod perierat.*" Luc. 19, 10. „*Sic enim DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.*" Joann. 3, 16. Imo hunc in finem media non tantum necessaria,

sed abundantissima nobis suppeditata fuerunt. „*Nullae quippe sunt majores divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia, quam est fides catholica, quae homines peccatores salvat, caecos illuminat, infirmos curat, catechumenos baptizat, fideles justificat, poenitentes reparat, justos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas et conjugales casto pudore conservat, clericos ordinat, sacerdotes consecrat, regnis coelestibus praeparat, in aeterna haereditate cum Angelis sanctis communicat.*" S. Aug. de verb. Ap. serm. 1.

2. Haec eadem subsidia ubertate ac efficacia prorsus divina pollent, utpote quibus proxime per Spiritum sanctum regeneramur, et supernis simul viribus instruimur. Equidem, prout infra dicetur, non omnibus eadem vis inest, quia diversis hominum indigentiis attemperata fuerunt; attamen, quisquis divinae miserationis consilium attentius inspexerit, fieri vix potest, quin illius recordetur, quod Isai. 5, 3. et seq. dicitur: „*Nunc ergo habitatores Jerusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam! Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci ei?*" Venit quippe divinus Salvator non solum, ut simpliciter vitam habeant, sed „*ut abundantius habeant.*" Joann. 10, 10.

3. Ne tamen totam redemtionis theoriam huc transferam, nonnisi de Sacramentis, atque de novae legis sacrificio tractabo. Insuper de his quoque ea tantum excerpam, quae *proxime Ascesim* spectant, reliquis, quae de illis obtinent, ad alias disciplinas, nempe ad Dogmaticam, ad jus sacrum atque ad artem pastoralem transmissis.

## Caput I.

### *De Sacramentis in genere.*

### §. 579.

**Notio et effectus Sacramentorum.**

1. *Sacramentum* novae legis est signum aliquod sub sensus cadens, ad gratiam tum significandam tum efficiendam divinitus institutum. Talia divinae benignitatis pignora septem veneramur, suntque: Baptismus, confirmatio, Eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo et matrimonium. Trid. Sess. VII. can. 1.

2. Haec divina mysteria sub multiplici ratione considerari possunt; sunt enim

*a)* inprimis signa *characteristica* seu distinctiva fidelium ab infidelibus;

*b)* signa *rememorativa*, quae tum summam DEI erga nos charitatem, tum nostra nobis officia in memoriam revocant;

*c)* signa *excitantia*, quibus ad fidem, spem, charitatem atque omnigenam virtutem provocamur. Verum absit, ut hic pedem sistamus, pro more Socinianorum in Sacramentis effectus nonnisi citatos suspicientium; sed

*d)* sunt quoque *signa efficacia*, quae gratiam, quam significant, etiam continent, et in illos, qui obicem non ponunt, revera dispensant. Trid. Sess. VII. can. 6.

3. Quare praeter *characterem*, quem quaedam illorum imprimunt, praecipuus Sacramentorum effectus est, ut gratiam non tantum significent, sed etiam *operentur* in nobis; quam quidem operandi vim Ecclesia catholica designat, dum gratiam per Sacramenta ex *opere operato* in nos conferri docet. Scilicet operatio illorum non ex meritis ministri, neque ex probitate suscipientis, sed ex vi actionis sacra-

mentalis tamquam causa repetenda est, quam Christus instituit, atque gratia foecundam voluit. Quamvis enim in suscipiente dispositiones quaedam requirantur, hae tamen gratiam non producunt, neque Sacramento vim tribuunt, sed nonnisi obicem removent, quo effectus Sacramenti vel ex integro, vel ex parte saltem impediretur. Sacramenta quodammodo vasa sunt a Christo ipso divinis charismatibus referta; unde ex parte nostra aliud non requiritur, nisi ut accedamus, et eorum recipiendorum capaces simus. Quanta igitur populi christiani felicitas, dum ritus aliqui, ex indole sua naturali inefficaces, tantam ex institutione divina vim habent, ut gratiam vere operentur, atque infinita Christi merita tam abunde in nos depluant!

Equidem haec expressio *ex opere operato* a saeculo demum 13. in scholis frequentari coepit; attamen res ipsa, seu *dogma,* quod his verbis enuntiatur, tam ex traditione, quam ex sacris literis facillime eruitur. Testimonia Ss. PP. per longam seriem Bellarminus recenset. Cumque dicta expressio dogma nostrum aptissime designet, Conc. Trid. illam rectissime adoptandam censuit. Vid. Sess. VII. can. 6. et 8.

4. Itaque inprimis Sacramenta in eo, qui obicem non ponit, *gratiam sanctificantem* operantur, qua filii DEI adoptivi, regni coelestis legitimi haeredes, ac ipsius divinae naturae quodammodo consortes efficimur. Ast haec ipsa gratia sanctificans vel dari potest vel augeri. Et illam quidem, qua quis ex injusto justus efficitur, *gratiam primam;* qua vero *justus justificatur adhuc,* seu qua gratia homini jam infusa novo incremento augetur, *secundam* vocant. Hinc quoque Sacramenta, quae proxime ad conferendam gratiam primam instituta fuerunt, *mortuorum;* quae vero ex sua institutione nonnisi ad illam augendam destinantur, *vivorum* appellari solent. Verum quemadmodum Sacramenta mortuorum interdum gratiam nonnisi se-

eandam operantur, dum e. g. poenitens peccatis tantum venialibus est obnoxius; ita vicissim sat solide adstruitur, fieri posse, ut per Sacramenta etiam vivorum *per accidens* gratia prima conferatur, dum scilicet aliquis tale Sacramentum eo, quo par est, pietatis ac religionis sensu suscipit, in peccato tamen lethali, cujus nec memoriam nec affectum habet. Saltem post S. Thomam viri gravissimi hanc sententiam tuentur.

5. Insuper quodvis Sacramentum *gratias actuales*, seu pie vivendi subsidia confert, quae, si non statim, suo tamen tempore, ubi iisdem praecipue indigemus, in nos dispensantur. Atque haec gratiam efficiendi vis in diversis Sacramentis diversa est; sunt enim alia aliis efficaciora, et praeterea ad diversos fines instituta. Paucis, per unumquodque Sacramentum praeter gratiam sanctificantem jus quoque morale, prout dicunt, nanciscimur ad obtinenda suo tempore divina auxilia, quae ad consequendum cujusque Sacramenti finem sunt necessaria.

## §. 580.

### De illorum ministro.

1. Quia tum de divina institutione, tum de materia et forma Sacramentorum Theologia dogmatica fusius tractat, hoc loco tantum de illorum ministro nonnulla percenseo, quae nempe Ascesim propius contingere videntur. Itaque DEUS quidem est, „*qui operatur omnia in omnibus,*" I. Cor. 12, 6.; attamen prout benignissimus Redemtor Sacramenta sua ad certam materiam atque formam adstrinxit, ita etiam ministros constituit, quibus in iisdem conficiendis administrandisque uteretur. Et quidem ad mysteria haec, utut gravia, imo tremenda sint, non Angelos, sed homines sibi adscivit. „*Omnis namque pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in iis, quae*

*sunt ad DEUM, qui condolere possit iis, qui ignorant et errant; quoniam et ipse circumdatus est infirmitate.*" Hebr. 5, 1. et seq. Porro ex certissima Ecclesiae doctrina Christus non mulieres, sed mares Sacramentorum ministros statuit, neque hos omnes, sed qui ad hoc munus destinati et *ordinati* fuerint. Trid. Sess. VII. can. 10.

Excipe tamen baptismum ob summam ipsius necessitatem, et matrimonium, siquidem *contrahentes ipsi*, prout plures asseverant, ejusdem ministri dicendi sint.

2. Pari modo ad valorem Sacramenti requiritur *intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia*. Trid. Sess. VII. can. 11. Distinguunt vero intentionem *actualem*, dum quis Sacramentum conficiens de illo rite conficiendo actu cogitat, *virtualem*, siquis, quamvis actu de illa non cogitet, hanc tamen intentionem animo fovet; *habitualem*, quae olim habita, et non quidem revocata fuit, attamen nullam amplius *in animum* virtutem vel efficaciam edit; demum *interpretativam*, quae reapse non adest, attamen affore praesumitur, si agens rerum sat gnarus esset. Quam ob rem paucis respondendum videtur. Optandum quidem est, ut minister ad Sacramentum, quod conficit, attentus semper sit, et actu ipso de illo cogitet; attamen ad illius *valorem* plane sufficit, siquis, in statu morali, seu actus humani capax existens, intentionem saltem virtualem affert. Unde non est, cur viri, probi ceteroquin et rectae fidei sincere addicti, desuper angantur. Etiamsi pro humana fragilitate de Sacramentis, quae conficiunt vel administrant, actu non semper cogitent, id tamen, quod pro munere suo exequuntur, *volunt*, et quidem idipsum volunt, quod facit Ecclesia.

3. Alia quaestio est, utrum intentio ministri semper *absoluta* requiratur, an vero, ex gravi ratione, ad cer-

tam quoque conditionem restringi possit. Ejusmodi conditiones vel de *praesenti*, vel de *praeterito*, vel de *futuro* dicuntur. Itaque omnes conveniunt, non sufficere intentionem conditionalem *de futuro;* e. g. ego te absolvo, si intra certum tempus debitam restitutionem praestiteris. Etenim tale Sacramentum neque tum valere potest, ubi sacer ritus exercetur, quia ad eventum futurum suspenditur; neque tum, ubi talis conditio impletur; tum enim actio sacramentalis deest. De solo matrimonio aliter sentiunt, quod quidem de futuro contrahi, attamen tali modo initum non prius consummari potest, nisi conditione vel dimissa, vel adimpleta. De iis vero conditionibus, quae vel de *praesenti*, vel de *praeterito* vocantur, multoties disceptatum fuit. Vid. Bened. XIV. de synod. dioec. l. 7. c. 15. Attamen viri tum doctrina tum pietate celebres Sacramentorum collationi taliter conditionatae, dum nempe rationes sat graves adsunt, patrocinantur; tales quippe conditiones, cum sint positae *extra causam*, et non dependentes ab *eventu futuro*, neque intentionem ministri, neque Sacramentorum effectum suspendunt; vel enim conditio subsistit, tumque Sacramentum optato cum effectu confertur; vel non subsistit, tum vero Sacramentum ne intenditur quidem. Verissima est veterum jurisconsultorum sententia, qui has conditiones ex conditionum genere penitus excludunt, eoquod omne negotium mox ab initio vel absolvant, vel penitus infectum relinquant. Non quidem diffiteor, hanc praxim venerandae antiquitati fuisse incognitam; attamen sufficiat nobis, quod Ecclesiae sensum nobis haud adversantem habeamus, imo quod eadem Ecclesia tum baptismum in aliquibus casibus sub tali conditione ministrandum, tum etiam conditionatam absolutionem saltem in articulo mortis palam adoptaverit, quod plane non fecisset, si hanc licentiam in ipsa Sacramenta injuriosam arbitraretur. Haec

scilicet mysteria, quamvis divina prorsus et omni reverentia dignissima, pro hominibus tamen constituta sunt, et exinde ita dispensari debent, ut saluti hominum omni meliori modo provideatur. Et siquidem causa sat gravis adsit talem conditionem apponendi, sufficit quidem, si id mente fiat; melius tamen, et praxi ecclesiasticae convenientius videtur, ut minister illam et ore exprimat.

Verum annon omnis absolutio *conditionata* censeri debet, dum nullus certe confessarius homines indispositos absolvere intendit? Ast, nisi conditio interne saltem, seu mente apponatur, *interpretative* quidem id evenit, non vero actualiter, vel virtualiter, Expositionem ulteriorem Pastorali relinquimus.

4. Denique res est ab Ecclesia penitus decisa, valorem Sacramentorum non a *fide et probitate* ministrorum dependere, modo omnia essentialia, quae ad Sacramentum aliquod conficiendum conferendumve pertinent, ab illis servata fuerint. Trid. Sess. VII. can. 12. „*Attamen vae homini illi, per quem Filius hominis tradetur!*" Unde S. Hier.: „*Grandis dignitas sacerdotum!*" exclamat, „*sed grandis eorum ruina, si peccant!*" Et S. Chrys.: „*Si sacerdotium corruptum fuerit, omnis fides marcida est.*" Quare, ut Catech. Rom. monet, „*sanctitatem sacrarum rerum ministri inprimis sectentur; pure ad Sacramenta ministranda accedant, atque ita se ad pietatem exerceant, ut ex eorum frequenti tractatione et usu uberiorem in dies gratiam adjuvante DEO consequantur.*" P. II. c. 1. q. 17.

## §. 581.

### De subjecto Sacramentorum.

1. *Subjectum* Sacramentorum capax est solus homo viator. Sacramenta enim instituta sunt, ut, dum adhuc in

via sumus, per gratiam sanctificantem in sortem filiorum cooptati, coelestibusque instructi subsidiis ad bravium supernae vocationis feliciter evehamur. Idquod nonnisi in vitam praesentem cadit, quippe cum sit „*statutum homini semel mori, post hoc autem judicium.*“ Hebr. 9, 27. Ibi etenim *amplius non erit tempus.* Attamen non omnis viator est capax omnium; mulier non potest sacro ordine initiari, et generatim, ut quis reliqua Sacramenta valide suscipiat, requiritur, ut per baptismum Ecclesiam ingressus, et ejusdem membrum effectus sit.

2. Quamvis porro Sacramenta ex opere operato gratiam conferant, plurimum tamen interest, quae sit dispositio nostra, dum ad illa accedimus. „*Sumunt boni, sumunt mali, sorte tamen inaequali vitae vel interitus.*“ Miss. Rom. „*Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial?*“ II. Cor. 6, 14. et seq.

3. Huc inprimis referunt, ut suscipiens aliqualem saltem *voluntatem* seu intentionem habeat recipiendi, quod Ecclesia confert, ita tamen, ut iis, qui sui amplius compotes non sunt, etiam intentio *habitualis*, seu aliquando habita, et nunquam retractata; infantibus vero et perpetuo amentibus etiam *interpretativa* sufficiat. Quapropter dici potest, in hominibus, qui ratione utuntur, intentionem aliquam requiri quidem; non vero in iis, qui nullum unquam rationis usum habuere, utpote in quibus gratia divina hunc quoque defectum supplet; idem fere de illis obtinet, qui casu aliquo vel morbo sui impotes evaserunt, dummodo non constet, iisdem antehac voluntatem contrariam fuisse. Vid. S. Thom. in IV. dist. 6. Q. 1. art. 2. Plura tamen de his Dogmatici.

4. Pari modo requiritur, ut suscipientes Sacramentorum effectui nullum opponant *obicem.* Equidem gratiam ex

opere operato producunt, et propterea merito etiam nobis dictum esse existimamus, quod Isai. 55, 1. et seq. occurrit: *„Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis, properate. Emite et comedite. Venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac.“* Attamen ut gratia isthaec in mentem tuam diffundatur, plane requiritur, ut mens illius recipiendae capax existat; et quidem quo major haec capacitas fuerit, eo uberiores quoque fructus percipies, eodem fere modo, ac ex fonte aliquo aquas eo largiores hauries, quo amplius aptiusque vas attuleris. Quid vero, si vasculum, quod affers, vel perangustum, vel ad continendas aquas prorsus ineptum, vel omnino os illius penitus obstructum fuerit? Vel, ut alia similitudine utar, quid fieri solet, dum igni ligna humida et madentia imponuntur? Haec sane adeo nullas flammas concipient, ut potius nonnisi atrum fumum evomant. Sic igitur etiam pax divina nullibi requiescet, nisi super filium pacis. Luc. 10, 6.

5. Hunc in finem, quantum ad *Sacramenta mortuorum*, quamvis haec gratiam sanctificantem non supponant, sed conferant potius, ad necessariam tamen dispositionem spectat, ut, qui poenitentiam, vel jam adulti baptismum suscipiunt, excitati et adjuti gratia divina libere moveantur in DEUM, credentes, vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt, utque ad spem erigantur, DEUM sibi propter Christum propitium fore; quem idcirco tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiant, necesse est, peccata sua detestantes, atque sincere parati ad vitam novam inchoandam, servandaque mandata DEI. Vid. Trid. Sess. VI. cap. 6. de justif.

6. Insuper *Sacramenta vivorum* absque nota sacrilegii suscipere nequit, qui peccati lethalis sibi conscius, et necdum vel per sacramentalem confessionem, vel ubi id

fieri nequit, ope perfectae contritionis in statum gratiae sanctificantis restitutus est. Praeterea ut gratia tum illa, quae *secunda*, tum etiam quae *sacramentalis* dicitur, largiter in nos defluat, pro viribus allaborandum est, ut mens nostra per fidem, spem, charitatem, reverentiam, humilitatem aliosque convenientes actus ad recipiendum unumquodque Sacramentum omni meliori modo praeparetur. Etenim non aliquando tantum et aliquibus, sed, quantum est ex parte DEI, *semper* et *omnibus* gratia datur, qui Sacramenta rite suscipiunt. Trid. Sess. VII. can. 7. Unde si nullum, vel nonnisi modicum illorum fructum experimur, haec tantas inter divitias paupertas unice negligentiae ac indispositioni nostrae tribuenda est.

Quaerunt, utrum Sacramenta cum obice suscepta postmodum hoc remoto non reviviscant. Et quidem de baptismo id plane certum habetur, qui, ut S. Aug. ait, *valere incipit ad salutem, cum illa fictio veraci confessione recesserit.*" L. 1. de bapt. Probabilius idipsum de confirmatione, de ordine, de matrimonio, quamdiu ambo conjuges vivunt, et de extrema unctione durante eodem mortis periculo obtinet. Divinae quippe misericordiae omnino congruum est, ut, cum haec Sacramenta partim absolute, partim hypothetice iterari nequeant, cor contritum et humiliatum non despiciat, adeoque ut gratias prius retardatas nunc demum elargiatur, ubi obex sublatus fuit. Parem sententiam S. Thomas de Eucharistia tenet, quamdiu nempe species nondum consumtae fuerint.

Alia quaestio est, an liceat Sacramenta petere a ministro, quem vel excommunicatum, vel certe improbum esse, certa notitia habetur. Et quidem

*a)* in *necessitate extrema*, aut in articulo mortis *Sacramenta necessaria*, si alius minister desit, etiam a notorie excommunicato non tolerato, a nominatim suspenso, ab irregulari ac degradato peti possunt. Trid. Sess. XIV. c. 7. Ubi vero talis necessitas haud intercedit, horum

ministerium neutiquam implorari vel admitti potest. Martin. V. *Ad evitanda scandala.* De complice vid. inferius. Deinde

*b)* a parocho, cui Sacramentorum administratio ex officio incumbit, vel etiam ab alio sacerdote parato, qui, etiamsi de ejusdem perversitate constet, ab Ecclesia tamen toleratur, saltem ex gravi ratione Sacramenta tum petere, tum accipere licet, e. g. si urgeat praeceptum annuae confessionis, si infirmus sis, et diutius exspectare deberes etc.

## Caput II.

### *De baptismo et confirmatione.*

### §. 546.

De natura et effectu baptismi.

1. Sacramentis generatim spectatis jam ad singula descendimus. Et primo quidem de baptismo agendum nobis est, utpote qui reliquorum januam et praeviam conditionem constituit. Huic vero mox confirmatio succedit, cum haec duo Sacramenta magnam inter se affinitatem habeant, et in Ecclesia antiqua, nisi causa gravis aliud suaderet, plerumque simul collata fuerint. Ast ne cui praesens tractatio manca videatur, denuo protestor, me illa tantum excerpere, quae Ascesim attinent.

2. Itaque triplex baptismi genus statuunt, scilicet *flaminis, sanguinis* et *fluminis*. Baptismus *flaminis* aliud non est, quam actus amoris DEI super omnia, qui perfectam contritionem de peccatis, propositum servandi omnia DEI mandata, et sic saltem implicite etiam desiderium suscipiendi hujus Sacramenti involvit. Baptismus vero *sanguinis* est martyrium, seu mors ante susceptum baptismum pro vera fide, vel etiam pro alia virtute ad religionem pertinente ab aliquo exantlata. Neutrum quidem baptismi

genus characterem imprimit; quantum vero ad justificationem baptismus sanguinis homini praeter gratiam sanctificantem non tantum remissionem culparum, sed etiam omnium poenarum, et quidem ex opere operato confert; is vero, qui flaminis dicitur, culpas quidem delet, et gratiam conciliat, hos tamen effectus nonnisi ex opere operantis, seu per viam meriti sortitur. Ex quibus unusquisque perspicit, quam praeclara illorum sors fuerit, quibus concessum erat pro J. Christo in asserenda ejusdem religione, in tuenda pudicitia etc. sanguinem et vitam suam profundere. Matth. 5, 10. et seq., ibid. 10, 32., ibid. 16, 25.

3. Baptismus *fluminis*, de quo in praesenti agitur, definiri potest, esse Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitae. Quanta hujus Sacramenti necessitas sit, ex verbis ipsius Redemtoris patet: „*Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum DEI.*" Joann. 3, 5. Atque haec verba ab Ecclesia stricte quidem, sic tamen semper intellecta fuerunt, ut baptismus flaminis et sanguinis, dum nempe nulla hujus Sacramenti opportunitas datur, non excluderetur. Trid. Sess. VI. cap. 4. de justif.

4. Modernos Protestantes ipsosmet pudet, dum legunt, quid ipsorum antesignani de baptismi effectibus senserint, e. g. quasi homo baptizatus damnari nequeat, nisi nolit credere; solam ipsius memoriam a peccatis justificare; hominem per baptisma ab observatione legum humanarum, imo ipsius legis divinae liberari, et quae fuerunt alia hominum fanaticorum deliria. Vid. Trid. Sess. VII. can. 6. et seq. de bapt. At vera Christi Ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, sequentes semper baptismi effectus tenuit:

*a)* Per baptismum omne peccatum, tum originale tum actuale, omnisque poena peccato debita aboletur; et

insuper animae gratia sanctificans infunditur una cum virtutum habitibus, aliisque spiritualibus donis. Scilicet *„non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abunde per J. Chr. Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae.“* Tit. 3, 5. et seq.

In adultis tamen haec omnia eatenus tantum efficiuntur, quatenus nullus illis obex opponitur. Fieri enim non potest, ut peccata illa deleantur, quibus mens adhucdum culpabiliter inhaeret. Attamen, ubi tales postmodum serio resipiscunt, effectus retardati subsequuntur.

*b)* Simul animae baptizati indelebilis character imprimitur, qui nulla unquam perversitate aut perfidia deleri queat.

*c)* Demum hoc Sacramento homo christianus Christi membrum, filius Ecclesiae, et prout ejusdem jurisdictioni obnoxius, ita etiam sacrorum particeps, et reliquorum Sacramentorum capax efficitur.

5. Ad dignitatem tanti mysterii pro viribus commendandam, atque ut fideles edocerentur, qua pietate illos tum ad divina haec charismata accedere, tum eorundem per omnem vitam meminissae oporteat; Ecclesia jam inde a primis temporibus multiplices ritus ac ceremonias adhibuit. Quia tamen de his alibi, in reliquis nempe Theologiae disciplinis, agitur, pro ratione praesentis instituti mei ea tantum annecto, quae ad accendendum studium pietatis faciunt.

## §. 583.

### De usu hujus doctrinae.

1. Quia nostro tempore perraro accidit, ut *adultus* quispiam baptizetur, illos tantum sensus commemoro, qui-

bus nos ex tanto beneficio imbutos esse oportet, nos, inquam, quos divina misericordia vixdum in lucem editos hoc mysterio initiari voluit, ut adeo unusquisque nostrum illud sibi usurpet, quod Ps. 21, 11. dicitur: „*In te projectus sum ex utero, de ventre matris meae DEUS meus es tu!*“ Quantum igitur divinae benignitatis specimen, nos hoc praecise tempore a parentibus verae fidei addictis feliciter natos, atque mox per lavacrum regenerationis salvatos fuisse! Et quidem „*non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam per J. Chr. Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum spem vitae aeternae!*“ Tit. 3, 5. Eramus quippe „*vasa irae, apta in interitum,*“ sicut et ceteri. Sit ergo „*benedictus DEUS et Pater Domini nostri J. Chr., qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo! Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate; qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per J. Chr. in ipsum, secundum propositum voluntatis suae etc.*“ Eph. 1, 3. et seq.

2. Ast gravissima simul sunt, quae vicissim pro impetranda hac gratia DEO spopondimus, renuntiando publice satanae, ac omnibus tum pompis tum operibus ejus, atque fidem nostram in DEUM Patrem, in JESUM Christum, in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam etc. solemniter professi. „*Non hominibus, sed DEO et Angelis ejus conscribentibus dixistis: Renuntio. Renuntiate non solum vocibus, sed etiam moribus; non tantum sono linguae, sed et actu vitae; nec tantum labiis sonantibus, sed operibus pronuntiantibus. Scitote vos cum callido, antiquo et veternoso inimico suscepisse certamen; non in vobis post renuntiationem inveniat*

*opera sua, non jure vos attrahat in servitutem suam. Deprehenderis enim et detegeris, christiane, quando aliud agis, et aliud profiteris, fidelis in nomine, aliud demonstrans in opere, non tenens promissionis tuae fidem; modo ingrediens Ecclesiam orationes fundere, post modicum in spectaculis cum histrionibus impudice clamare. Quid tibi cum pompis diaboli, quibus renuntiasti?*" S. Aug. de symb. ad catech.

3. Pari modo character, quo signati sumus, erga nos aeque ac reliquos christianos ad maximam nos reverentiam provocet. Qui quidem character, prout electis pignus est haereditatis ipsorum, ita et reprobis in summam aeternamque confusionem cedet.

4. Sed etiam ceremoniae, quae in hujus Sacramenti collatione fuerunt adhibitae, animum vehementer commovent. Brevitatis causa eas tantum adduco, quae baptismum sequuntur. Itaque mox ubi divino lavacro regenerati fuimus, vertex capitis S. chrismate liniebatur, ut essemus „*genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, annuntiantes virtutes ejus, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen suum.*" I. Petr. 2, 9. Tum vero et vestis candida, et accensa candela nobis porrecta fuit, et en, quibus verbis Ecclesia nos interpellaverit: „*Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal D. N. J. Chr., ut habeas vitam aeternam.*" Et: „*Accipe lampadem ardentem, et irreprehensibilis custodi baptismum tuum; serva DEI mandata, ut, cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei unacum omnibus Sanctis in aula coelesti, habeasque vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum.*"

5. Haec ergo saepissime in memoriam revocemus, praesertim ubi diem nostrum natalem agimus, et in festis

solemnioribus. Vix aliud est, quo magis disponamur tum ad summam gratitudinem erga DEUM, tum ad solicitam curam, ut *„per bona opera certam nostram vocationem et electionem faciamus.“* Quantum solatii exinde in illos redundat, qui innocentia baptismali adhuc resplendent; et quam efficaciter inde permoventur, ut tantum thesaurum pro viribus tueri pergant! Ast non minus, qui hucusque perfidi fuerunt, ex viva et repetita memoria hujus Sacramenti ad poenitentiam revocantur, ut post tristissimum naufragium illam ceu unicam tabulam, qua adhuc salvari possint, ambobus brachiis apprehendant.

Ex dictis patet quoque, quantopere parentes cavere debeant, ne proles nondum in lucem editae, vel recens natae divino hoc beneficio priventur. Praeter reliquam solicitudinem pias frequenter preces ad DEUM fundant, ut, quod natum est ex carne, ex aqua et Spiritu sancto renasci mereatur. Aliqui suadent, ut mater gravida nomine infantis vivum saepius baptismi desiderium concipiat. Attamen, etiamsi hoc valde probandum sit, nec in scriptura nec in traditione solidum fundamentum occurrit, baptismum per vota parentum suppleri posse. Quanta vero criminis atrocitas, quo mater ipsa voluntarie vel omnino destinato consilio foetum abigit! Quam severe non sanguis tantum, sed et anima miserae prolis requiretur ab iis, qui vel actu, vel jussu, consilio, vel sub quacunque demum ratione ad facinus horrendum adeo concurrunt!

## §. 584.

### De Sacramento confirmationis.

1. Per baptismum a DEO in sortem filiorum cooptamur, atque regni coelestis haeredes efficimur. *„At,“* prout cl. Liebermann disserit, *„ne frustra in spem tantae haereditatis geniti videamur, si inter tot vitae hujus labores et salutis pericula animus viresque deficerent; voluit optimus Salvator novo, eoque saluberrimo Sacra-*

*mento nostris indigentiis providere. In hoc Sacramento armatura fidei munimur, qua induti stare possimus contra insidias diaboli; in hoc iis, qui Christo nomen dederunt, sacrae militiae character imprimitur, et lumen infunditur menti, et robur pectori, ut novis in dies aucti vitae spiritualis incrementis crescant in virum perfectum, in aetatem plenitudinis Christi.*"

2. Quia tum divinam institutionem, tum ea, quae materiam, formam et ministrum hujus Sacramenti concernunt, Theologia dogmatica exponit, his omissis solum denuo ipsius usum attendo. Itaque etiamsi hodie non sint, qui fidem nostram minis adhibitisve tormentis impugnent; ea tamen tum nostra infirmitas, tum etiam temporum conditio est, ut coelesti hoc robore quam maxime indigeamus. Datur enim aliud adversariorum genus multo magis perniciosum, quam hostes aperti; ii scilicet, quibus Christus crucifixus scandalum, ac ejusdem Evangelium stultitia videtur, quique non verbis tantum, sed etiam sparsis undique libellis coelestes veritates vel inficiantur, vel risui et contemtui exponunt. Verum non contra hos tantum, sed generatim adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus nos praemuniri, atque Sacramento chrismatis robustiores fieri oportet, ut instante morte cum Apostolo unusquisque dicere possit: „*Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi.*" II. Tim. 4, 7. Quapropter etsi hoc Sacramentum non sit necessarium *necessitate medii*, ut dicunt; „*a nemine tamen praetermitti debet; sed potius maxime cavendum, ne in re sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur; quod enim DEUS omnibus communiter ad sanctificationem proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.*" Catech. Rom. „*Etiam morituris,*" ait S. Thomas, „*hoc Sacramentum*

*dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant*, secundum illud ad Ephes. IV.: *Donec occurramus in virum perfectum etc.*" Vid. Bened. XIV. *Etsi pastoralis.*

3. Quia porro hoc Sacramentum *gratiam primam* jam supponit, adulti, et quibus sufficiens rationis usus constat, ad illud cum fructu suscipiendum non solum fidem et pietatem afferre, sed etiam peccata sua eluere, et praesertim, si gravius fors deliquerint, praevie cum DEO reconciliari debent.

Cl. Liebermann hac occasione animadversionem haud contemnendam adducit: „*Si merito tempus discretionis exspectatur, quo pueri fidem libera mente profiteri, et rite se ad capienda coelestia dona praeparare possint; minus congrua videtur septennaria aetas, in qua peccandi facultas plerumque supponi potest, at raro ea discretio, et ingenii maturitas, quae ad recipiendum digne poenitentiae Sacramentum requiritur; unde saepe anxius haeret animarum pastor ex una parte, ne puer cum inquinata conscientia accedens Spiritui sancto contumeliam faciat; ex altera, ne dispositiones desint ad absolutionem requisitae. Ut huic jam difficultati, et simul inconsideratis, quibus pastores plerumque vexantur, parentum postulationibus occurratur, in multis dioecesibus statutum est, ut nullus, nisi peracta prima communione ad confirmationis Sacramentum admittatur.*" Interim ubi vel major dioeceseos extensio, vel ejusdem intra certum tempus repetita peragratio ex quacunque ratione perdifficilis est, hujusmodi pia vota vix unquam executioni dabuntur. Insuper, prout idem auctor rectissime advertit, Episcopus, qui hoc Sacramentum infantibus graviter infirmis confert, adeo non est reprehendendus, ut potius magnam hinc laudem mereatur.

4. Non minus, qui hoc Sacramento insigniti sumus, gratiam DEI, quae nobis collata fuit, frequenter resuscitare studeamus. „*An nescitis, quoniam membra vestra*

*templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis a DEO, et non estis vestri?*“ I. Cor. 6, 19. „*Renovamini autem spiritu mentis vestrae, et induite novum hominem, qui secundum DEUM creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Et nolite contristare Spiritum sanctum DEI, in quo signati estis in diem redemtionis.*“ Eph. 4, 23. et seq. Atque exinde inter omnes adversariorum assultus invicta quoque fiducia nobis confertur, si frequenter meminerimus, tantum nobis a DEO *haereditatis pignus* concessum fuisse, ipsum nempe Spiritum sanctum, qui et „*adjuvat infirmitatem nostram,*“ imo et „*postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*“ Rom. 8, 26. „*Ideo et per ipsum Amen DEO ad gloriam nostram, qui confirmat nos in Christo, et qui unxit nos DEUS, qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*“ II. Cor. 1, 20. et seq. Quales denique pietatis sensus *character*, qui etiam per confirmationem imprimitur, in nobis excitare debeat, ex iis patet, quae paulo ante de baptismo dixi. Velis, nolis, signaculum istud, quo Christi miles, et ejusdem signis adscriptus es, menti tuae per omnem aeternitatem inustum manebit. Quanta igitur confusio, si divinus Judex te, ceu turpissimum transfugam et perduellem repererit!

## Caput III.

### *De sanctissimo Sacramento Eucharistiae.*

### §. 585.

**De exellentia hujus mysterii.**

1. Hic enimvero mysterium se offert ex omnibus suavissimum, quod nednm naturae, sed ipsius quoque gratiae ambitum excedit, ipsum quippe gratiarum auctorem, et

sanctitatis fontem complectens. „*Hic*," prout cl. Liebermann scribit, „*lignum vitae est in medio paradisi plantatum, cujus fructus immortalitatem praestat edentibus; hic manna de coelo descendens, quod omnem in se continet saporis suavitatem; hic ipsa nobiscum se commiscet incarnata Sapientia, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum; hic Pastor bonus oves suas pascit proprio cruore; hic nobiscum manet JESUS noster omnibus diebus, ut et cibus sit peregrinantibus, et futurorum bonorum pignus certissimum. Superfluum esset humana ratione metiri velle tanti amoris Sacramentum. Num definiet paupercula ratio, quid possit omnipotentia efficere, quid possit suadere infinita dilectio? Divinum prorsus hoc opus est, ac plus hic proficit simplex fides, et purus a labe animus, quam curiosa et plena temeritatis investigatio. Sed neque hoc satis est, nosse donum DEI; tota felicitas in possessione est. Beatus, qui coelestis cibi dulcedinem degustat, et consors factus divinae naturae, vehementius in DEI amorem exardescit; ut totus in eo sit, quem totum in se recipit.*"

2. Omissis iterum, quae Dogmatica sibi vendicat, hoc capite divini hujus mysterii *usum* commendabo, ordinem, imo frequenter ipsa quoque verba pii Oberrauchii secutus, qui nunquam eloquentior, quam ubi de tanto charitatis divinae specimine agit. Itaque Sacramentum Eucharistiae in Ascesi sub triplici ratione considerari potest:

*a)* Tamquam auxilium, quo ad diligendum DEUM plurimum juvamur;

*b)* tamquam gravissimum momentum, quo ad hanc dilectionem impellimur; et

*c)* tamquam actus amoris, quo ipsum revera diligimus.

3. Et quidem ex divino hoc mysterio plurima et efficacissima salutis subsidia in nos scaturire, adeo certum

est, ut homini catholico ne dubitare quidem liceat. Pulcherrima sunt, quae hunc in finem Patres Tridentini allegant. „*Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumtione colere nos sui memoriam praecepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae et perpetuae felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuique nos, tamquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes disceremus, nec essent in nobis schismata.*“ Sess. XIII. cap. 2. de Euch.

4. Pro summa hac utilitate etiam quotidiana experientia perorat. Qui frequenter, et rite simul dispositi coelesti hoc pabulo sese reficiendos curant, plerumque a lapsu saltem graviori immunes servantur; animi vero puriores magnis inde ardoribus accendi, atque ad generosissima decreta assurgere consueverunt. Quodsi hinc inde personae laicae, quamvis rarius communicantes, solidiores tamen in via virtutis gressus faciant, quam quae frequentius cibo fortium reficiuntur; id assertionem nostram non evertit, sed firmat potius, quandoquidem tanta hujus epuli virtus est, ut, quamvis non adeo saepe, devote tamen et cum debita mentis dispositione sumtum vires ad tempus etiam longius recreet. Contra qui frequenter quidem, attamen, prout videtur, sine uberiori fructu de hac mensa partici-

pant, id non Sacramento, sed suo duntaxat languori adscribere debent. De hac tamen S. Communionis frequentia inferius.

## §. 586.

### Continuatio.

1. Sed hoc idem Sacramentum est etiam gravissimum momentum, quo ad DEUM redamandum impellimur. „*Cum enim amor mutuo semper ac pari amore dignus sit, quantopere nos ad talem urgere debebit hujus, quam in altaris Sacramento Redemtor noster edit, charitatis summum plane exemplum! Cum suavitate atque dulcedine hujus mysterii nihil omnino, quod infra Divinitatem est, in comparationem ullam venire potest. O quantus est DEUS! In ejus consideratione non modo omnes sensus, sed ipsa mens deficit. Et tamen cum tantus sit, in divino hoc convivio corpus suum et sanguinem cum anima, ac denique ipsam Divinitatem apponit, totus exinde nobiscum commiscendus! Ingenium amoris omnem admirationem excedens, et charitatis exemplum, utpote quale in solum DEUM cadere potest, vere divinissimum! Huic charitati novae et innumerae infinitates accedunt ex iis, quae in hoc mysterio amore nostri patitur DEUS-Homo. Et quidem injuriae in vulgus notae sunt innumerae et gravissimae, quae eidem a sacrilegis christianis, et fidei nostrae hostibus licentissime inferuntur; sunt tamen aliae insuper ignotae et immanes adeo, ut eas nec commemorare, imo ut de iis nec cogitare liceat. Quid, obsecro, in coena illa ultima ad conspectum tantae atrocitatis et ad torrentem tantarum offensionum senserit mens illa divinissima? Et tamen tot injuriarum, ex quarum sola recordatione mens humana obstupescit, torrentes obstare non potuerunt, quo*

*minus Redemtor nostri nimium amans in hoc mysterio seipsum daret, tantum ut totus noster esse posset.*" Oberr. §.§. 1319. et seq.

2. Quisnam igitur ex tanta charitate sensus animos nostros penetrare deberet! Nonne justissimum erit, ut tanto amoris prodigio nobismet ipsis velut erepti, nos totos in illum transferamus, qui nobis semet ipsum dedit? „*Quid mirum, si totus ex te ignescerem, et in meipso deficerem, cum tu sis ignis semper ardens, et nunquam deficiens; amor corda purificans, et intellectum illuminans?*" De imit. l. 4. c. 16.

3. „*Sed,*" ut Oberrauchius pergit, „*numquid usus hujus Sacramenti erit etiam nostri in Christum amoris actus aliquis? Num donum ingens a diligente accipientes eundem hoc ipso mutuo diligimus? Num ratio ad amorem impellens, et ipse amor idem esse possunt? Et tamen in praesenti causa res ita se habet. Nam Christum sumendo, (siquidem devote et cum requisita dispositione id fiat) eidem gratum facimus, ipsa infiniti beneficii acceptione par propemodum eidem reddentes. Cum enim nobiscum intime conjungi vi charitatis suae vehementissime desideret, maxime utique acceptum eidem erit, si desiderii hujus ardentissimi explendi Christo copiam faciamus. Scilicet vehementer amantium est, ut eas demum divitias suas esse putent, quas in dilectum suum effuderint, et tunc demum delicias sentire sibi videantur, si iisdem eum, quem diligunt, innatare conspiciant. Et tamen fere nullum hujus rei desiderium fideles tenet. Sine ullo sensu per longum etiam tempus divinis hisce deliciis carere possunt. Etiam boni alias ad S. Communionem per illas gratias, quae hic copiose hauriuntur, et quibus se magnopere indigere sentiunt, urgeri debent. O frigus deplorandum! O sensum chri-*

*stianae religionis extinctum plane! Huc sane quadrat, et nos gravius, quam Judaeos, ferit severa illa exprobratio: Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciae pectoralis suae? Populus vero meus oblitus est mei diebus innumeris.*"

## §. 587.

### De ejusdem effectu.

1. Ex hucusque dictis abunde quidem perspicitur, quanta hujus Ss. Sacramenti ubertas, et bonorum coelestium affluentia sit, utpote quod ipsum gratiae largitorem vere, realiter et substantialiter praesentem continet. Juvat tamen praecipuos ejusdem effectus legitimo ordine percensere. Et primo quidem Ecclesia catholica illos merito ceu haereticos condemnavit, qui primarium Eucharistiae effectum in remissione peccatorum mortalium collocarant, Apostolo diserte dicente: „*Quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.*" I. Cor. 11, 27. et seq. Vid. Trid. Sess. XIII. can. 5. et 11. de Euch. Constans semper Ecclesiae doctrina fuit, Eucharistiam per se, atque directe peccata lethalia haud remittere, et idcirco in suscipiente, ne indigne accedat, gratiam sanctificantem jam praevie requiri.

2. Effectus vero, quos Ecclesia dulcissimo huic mysterio nunquam non adscripsit, hi potissimum sunt:

*a)* Inprimis *intima fidelium cum Christo conjunctio* occurrit, ita ut eidem tamquam viva membra corpori suo inserti, prout S. Cyrill. Hierosol. inquit, ipsi *concorporei* et *consanguinei* reddamur. Et utique Redemtor ipse affirmat: „*Qui manducat meam carnem,*

*et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo.*" Joann. 6, 57.

*b)* Alter effectus est *gratia* tum sanctificans tum etiam actualis. „*Uti corpus cibo naturali non conservatur modo, sed etiam augetur, gustusque novam quotidie ex eo voluptatem et suavitatem percipit; ita etiam S. Eucharistiae cibus non solum animam sustentat, sed vires illi addit, efficitque, ut divinarum rerum delectatione magis ac magis commoveatur.*" Catech. Rom.

*c)* Hoc idem mysterium a Patribus Tridentinis *antidotum* vocatur, quo *liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur.* Hinc quoque tempore persecutionum Christiani immaniter divexati ex hoc potissimum fonte vires suas hauserunt. „*Idoneus esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad proelium; et mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit et accendit.*" S. Cypr. ad Corn. ep. 54. Celebre hunc in finem est testimonium S. Basilii: „*Quod autem tempore persecutionis Christianus, cui presbyteri aut ministri copia non est, propria manu Communionem sumere absque ulla dubitatione teneatur, nulla alia demonstratione opus est, quam quod idipsum usu constanti, et antiqua consuetudine stabilitum sit. Omnes monachi, qui deserta habitant, ubi presbyteri non sunt, Communionem apud se servant, et suis manibus communicant etc.*" Ep. ad Caesar. Verum quoad hoc nunc alia viget disciplina.

*d)* Denique hoc Ss. Sacramentum *pignus est futurae nostrae gloriae, et felicitatis aeternae,* Christo ipso iterum attestante: „*Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*" Joann. 6, 69.

## §. 588.

### De ipsius necessitate.

1. Dum de Sacramenti hujus *necessitate* quaeritur, distinguendum inprimis est inter *adultos* et *parvulos*. Quantum ad parvulos Ecclesia definivit: „*Siquis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiae communionem, anathema sit.*“ Sess. XXI. can. 4. Scilicet, prout sacra Synodus in eadem sessione cap. 4. disserit, parvuli per baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati adeptam jam filiorum DEI gratiam in illa aetate amittere non possunt. Nec obstat, in quibusdam olim Ecclesiis usitatum fuisse, ut infantibus mox post baptismum etiam Eucharistia dispensaretur, idque in Ecclesia orientali etiamnum observari. Nam, ut sancta Synodus pergit, „*sicut Ss. Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate fecisse, sine controversia credendum est.*“ Idem de perpetuo amentibus obtinet, nisi lucida intervalla habeant.

2. Adultis vero perceptionem Ss. Eucharistiae plane necessariam esse, inter omnes convenit. Sunt verba ipsius Domini: „*Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*“ Joann. 6, 54. Prout nempe ad acquirendam vitam spiritualem baptismo vel poenitentia indigemus, ita etiam divino hoc alimonio, ut illam conservemus. Unde cui nulla ejusdem copia datur, ipsius, si non explicitum, implicitum saltem *votum* habeat, necesse est.

3. Verum *quando* aut *quoties* hoc benignissimum, et quo nullum extat dulcius, praeceptum Domini urget? Ad hanc quaestionem omnes iterum conveniunt, imo ab Ecclesia plane decisum habetur, praeceptum hocce ur-

gere in *articulo mortis*, prout etiam in *gravi vitae periculo*. Est enim Eucharistia, ut Trident. inquit, viaticum salutis, cujus vigore confortati ex hujus miserae peregrinationis itinere ad coelestem patriam pervenire valeamus. Hinc jam in Concilio Nicaeno I. de peccatoribus ad perpetuam poenitentiam ablegatis decernitur: *„De his, qui recedunt ex corpore, antiqua legis regula observabitur etiam nunc, ita ut necessario vitae suae viatico non defraudentur.“* C. 12. Quapropter multum redargui merentur periculose decumbentes, qui sumtionem viatici tamdiu differunt, ut merito timeri debeat, ne illius recipiendi vi morbi incapaces reddantur.

*Articulus mortis* ille dicitur, quo mors certo, vel saltem probabilius proxime secutura praevidetur; *grave periculum* adesse censetur, dum prudens timor, seu solidum dubium mortis proxime secuturae occurrit, eoquod in ejusmodi casibus frequenter accidat, e. g. in gravi morbo, difficili partu etc. Generatim animarum pastor in determinando gradu periculi non sit anxius; sufficit justus timor, ne morbus iste progrediatur in mortem. Moneat etiam populum, ut in casu infirmitatis Ss. Sacramenta mature petant, ne morbo ingravescente aegroti, ut fieri solet, minus dispositi inveniantur. Insuper haec Sacramentorum susceptio publica quoque est professio fidei et unionis catholicae; unde non conceditur, ut quidam ex respectu humano clam et quasi furtive illa suscipiant, sed instandum est, ut, quoties fieri potest, solemniter, atque ad totius communitatis aedificationem id fiat. Hoc idem praeceptum sumendi viaticum etiam ad eos extendunt, qui, quamvis vel ob aetatem vel ex debilitate rationis hucusque nunquam communicaverint, catenus tamen sui compotes videntur, ut corpus Domini a cibo profano distinguere, et cum congruis pietatis affectibus sumere sciant. Qua in re utique multa judicio et discretioni pastoris relinqui debent. Demum aliqui etiam milites proelium inituros, siquidem opportunitatem habeant, praeterea periculosam na-

vigationem subeuntes, feminas instante puerperio, ubi periculum praevidetur, hac lege constrictos esse volunt. Saltem nemo ambiget, quin talibus divinum hoc salutis munimen magnopere commendari debeat.

4. Quaestio multo intricatior est, *quoties in vita* praeceptum Ss. Eucharistiam suscipiendi obliget. Et quidem ipsa institutio hujus mysterii sub specie panis et vini usum frequentissimum commendat. „*Quare parochi partes erunt, fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant, ita etiam quotidie hoc Sacramento alendae et nutriendae animae curam non abjiciant; neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere perspicuum est.*“ Catech. Rom. Quantus porro fidelium primae et subsequentis aetatis in frequentanda coelesti mensa fervor fuerit, pariter neminem in Ecclesiae annalibus vel parum eruditum latere potest. „*Sed cum deinde charitas et pietatis studium adeo refrixisset, ut raro admodum ad Communionem fideles accederent, sancitum est, ut ter quotannis, in Natali Domini, et Resurrectione et Pentecoste omnes Eucharistiam sumerent, idquod postea a multis conciliis confirmatum est. Ad extremum, cum eo res adducta esset, ut non modo sancta illa et salutaris perceptio non servaretur, sed in plures etiam annos S. Eucharistiae communio differretur; decretum est in Lateranensi Concilio, ut semel ad minus singulis annis in Pascha fideles omnes sacrum Domini corpus acciperent; qui vero id neglexissent, Ecclesiae aditu prohiberentur.*“ Catech. Rom.

5. Itaque Conc. Lat. IV. can. 21. sequentia statuit: „*Omnis utriusque sexus fidelis suscipiat reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiae Sacramentum, nisi proprius sacerdos ab ejus perceptione dixerit abstinendum;*

*alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens christiana careat sepultura.*" Eundem canonem a Trident. innovatum legimus sess. XIII. can. 9. Qua de re notandum videtur:

*a)* Hoc praecepto omnes fideles, et quidem sub gravi obstringuntur, cum ad *annos discretionis* pervenerint, qui quidem anni ex praxi Ecclesiae eam aetatem designant, qua quis tum sufficientem usum rationis habet, tum etiam satis instructus videtur, ut hoc Sacramentum debita cum dispositione suscipere possit. Idquod judicio parochi vel prudentis confessarii relinquitur, et absque dubio etiam consuetudini in singulis dioecesibus introductae aliquid deferri potest. Optandum tamen est, ut pueri satis instructi, maturius potius, quam tardius ad illum adducantur, qui dixit: „*Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire; talium est enim regnum coelorum.*" Matth. 19, 14.

*b)* Ex tenore canonis Trid. tenentur omnes fideles *singulis annis saltem in Paschate* ad communicandum. Praecipitur ergo, ut id *semel saltem in anno*, et insuper ut *tempore paschali* fiat. Numeratur vero tempus paschale, nisi consuetudo dioecesana aliud habeat, a dominica palmarum ad dominicam in albis inclusive.

*c)* Permittitur tamen parocho vel sacerdoti, cui facultas confessionem paschalem excipiendi competit, ut hanc Communionem ex gravi ratione in aliud tempus differat, cum fieri possit, ut poenitens tempore paschali se sistens absolvi nequeat; praeterquam quod et aliae rationes talem dilationem interdum exigere videantur.

*d)* Simul huic praecepto quisque in *propria sua paro-*

*chia* satisfacere tenetur, nisi parochus alibi communicandi licentiam dederit. *Clement. Relig. de Priv.* Excipiuntur tamen sacerdotes, dum celebrant, peregrini et vagi, qui proprium parochum non habent.

6. Attamen Ecclesia hoc praeceptum ferendo nonnisi *ultimum limitem* posuit, quem nullus Christianorum transilire praesumat. Interim vehementer optat, ut fideles panem hunc supersubstantialem frequenter suscipiant, prout Patres Trid. iterato hortantur. Juvat denuo verba Catech. Rom. inserere: „*Fideles non satis habeant, se hujus decreti auctoritati obtemperantes semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere; verum saepius iterandam Eucharistiae communionem existiment. Utrum autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula praescribi non potest; verumtamen illa S. Augustini norma est certissima: Sic vive, ut quotidie possis sumere.*"

## §. 589.

### De utilitate Communionis frequentis.

1. Quamvis difficillimum, et vix non temerarium foret definire, quoties singuli quique etiam extra tempus paschale ad Communionem teneantur; si tamen de *consilio* quaeritur, omnes pii scriptores usum admodum frequentem suadent. Et certe, ne quid de dispendio gratiarum dicam, quae ex perceptione frequentiori in nos redundaturae essent, accessus ad Eucharistiam rarus aut diu dilatus charitati parum respondet tum illi, quam divinus Redemtor erga nos fovet, tum illi, qua nos ad ipsum attrahi oporteret.

2. Dantur quidem circumstantiae, quae a Communione frequentiori excusant, e. g. moles negotiorum, multa distantia ab Ecclesia, corporis infirmitas etc. Et praecipue

homines prava consuetudine irretiti, in occasione proxima versantes, et quibus ex quacunque ratione absolutio sacramentalis differri debuit, tamdiu a divina hac mensa arcendi sunt, donec sat firma animi resipiscentis argumenta praebuerint. Neque inficias ibo, *interdum* probandum esse, ut homines etiam bonae indolis prae humilitate abstineant, de quibus S. Aug. disserens ait: „*Zachaeum et centurionem aeque honorasse Christum, dum ille laetus eum susciperet, hic indignum se putaret, cujus tecta subiret.*" Absit tamen zelus perversus Jansenistarum, qui non tantum peccatores tamdiu excludunt, donec illorum emendatio omnibus numeris absoluta fuerit, sed ipsos etiam justos retrahunt, quamdiu quotidianis quibusdam defectibus implicantur, et generatim nomine perperam praetensae *humilitatis* uberrimos gratiarum fontes obstruere nituntur.

3. Etenim si homines certo vitio addicti sincerum inde emergendi conatum adhibent, licet ex fragilitate hinc inde succumbant; quam inhumanum foret, tales a Sacramentis arcere, unde vires et coeleste robur haurire possent! Quam parum tales mentem divinissimi Redemtoris intelligunt, cujus haec ipsa intentio fuit, ut quaereret, et salvum faceret, quod perierat! „*Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui male habent. Non veni vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam.*" Luc. 5, 31. et seq.

Puta, nisi *hinc inde* subtractio S. Communionis, vel potius dilatio ejusdem ad exercendam poenitentis humilitatem, vel ad acuendum emendationis studium praeprimis expedire videatur etc.

4. Idem fere de illis obtinet, qui, etiamsi mendis quotidianis non careant, ab omni tamen peccato graviori sibi temperare solent. Etiam hi, quo sunt infirmiores, eo magis gratia sacramentali indigent, qua scilicet *a culpis quo-*

*tidianis liberentur, et praeserventur a mortalibus.* Profecto Ss. Patres, et viri, qui aevis subsequentibus virtute eminuerunt, non ignorarunt, quanta sit humana fragilitas, et nihilominus constat, quo studio frequentem Eucharistiae usum commendandum censuerint. Quodsi neque horum auctoritas te commoveat, rem ipsusmet experire. Homines itaque a culpis gravioribus immunes ad Communionem octiduanam, vel saltem in alternas hebdomades repetitam allice, simulque in sacro tribunali iisdem scite ac benevole novos identidem pietatis igniculos adde; et videbis, plerosque horum a piaculis etiam levioribus saltem deliberatis abhorrere, aliquos autem ad aemulanda spiritualia fervore prorsus singulari accendi.

Neque, ut denuo verbis Oberrauchii utar, illam frigidorum cantilenam occinas: „*Res tanta nimio usu vilescit; in tanta frequentia debita praeparatio deesse solet; prudens suspicio est, illis, qui toties communicantes in virtute tamen patentes progressus non faciunt, occultum vitium subesse etc.*" Ast haec in frequenter communicantibus, praesertim qui prudenti conscientiae moderatore utuntur, *plerumque* non contingunt. Si vero ex quibusdam abusibus regulam generalem statuere velis, omnium pene rerum usum sustulisti. Revera numquid *in raro communicantibus* major reverentia, diligentior praeparatio, et exactior cordis puritas deprehendi consuevit? Quosnam facilius ad Communionem admittis, num eos, qui ante aliquot menses, vel omnino ante annum confessi fuerant, an vero, qui frequenter se sistunt? Haec nempe inter divina humanaque commercia differentia datur, ut *homines*, quibuscum frequenter conversamur, ex detectis illorum naevis plerumque nobis vilescant; contra quo saepius familiariusque cum civibus regni coelestis, et praesertim cum DEO ipso agimus, eo magis reverentia et charitas nostra augentur, ut-

pote unde mens nostra novos indies ardores concipit. Si denique a frequenter communicantibus conspicuos in virtute progressus requiras, numquid, si raro tantum accesserint, eosdem magis profecturos speras? Vah! cave, ne in aetate praesertim juvenili peccatis hucusque levibus mox gravia succedant, et omne proficiendi consilium penitus dimittatur! *„Proni enim sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; et nisi succurrat divina medicina, labitur homo mox ad pejora. Retrahit ergo S. Communio a malo, et confortat in bono. Si enim modo tam saepe negligens sum et tepidus, quando communico aut celebro; quid fieret, si medelam non sumerem, et tam grande juvamen non quaererem?“* De imit. l. 4. c. 3.

5. Quapropter falsa quoque est humilitas, quae nos *ad tempus longius* ab hac mensa retrahit, et *generatim accessum valde rarum* suadet; potius quo magis infirmitatis nostrae nobis conscii sumus, eo magis ad divinum hunc panem nos anhelare oportet, quo confortamur et crescimus. Idipsum ven. Blosius asserit: *„Laudabile quidem est, interdum ex humilitate ac sancto timore seu reverentia abstinere a sacramentali perceptione Eucharistiae; sed multo melius est, ex charitate, et divinae laudis bonique communis desiderio, sive ex speciali devotione frequenter ipsam S. Eucharistiam accipere.“* Cf. de imit. l. 4. c. 10.

6. Quodsi quaeritur, utrum Communio singulis dominicis, vel in hebdomades alternas, vel omnino quotidiana suaderi debeat, haec respondenda videntur:

*a)* Communio *quotidiana*, utpote pro laicis nostro tempore penitus inusitata, vix unquam concedatur. Aliud dicendum, si, ubi plura festa se excipiunt, personae vere piae per duos vel tres continuos dies, vel una alterave vice per hebdomadem accedere exoptant.

*b)* Communio *octiduana* generatim quidem, praesertim juventuti suaderi meretur; videndum tamen est, tum *quo spiritu* id expetant, num reapse ex studio pietatis, an vero solum ad alios aemulandos etc.; tum etiam, quae sint reliqua personarum locorumque adjuncta; saepenumero enim cura oeconomiae, famulitii, pax domestica, murmur populi, aliaque impedimenta obstant; praecipue cavendum est, ne, dum omnibus diebus dominicis eaedem semper personae piae confessionale obsident, ob sacerdotum paucitatem reliquae communitati omnis opportunitas adimatur.

*c)* Communio in *alternas hebdomades* repetita plurimis non solum suaderi, sed suaviter etiam urgeri debet. Generatim vero pastor, utique non vehementer, sed blande potius instet, nequis suorum usum Sacramentorum, confessionis saltem, ultra mensem differat.

7. Res haec in cura animarum summi certe momenti est. Qui in communitate sibi concredita frequentem et pium simul Sacramentorum usum invexit, prae omni alio verba illa sibi usurpare potest: „*Sic est regnum DEI, quemadmodum si homo jaciat sementem in terra, et dormiat, et exurgat nocte et die, et semen germinet, et increscat, dum nescit ille. Ultro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spica.*" Marc. 4, 26. et seq. Quam tranquillo itaque animo, bone sacerdos, diem tuum ultimum obibis, siquidem uberrimi Sacramentorum fructus etiam post obitum tuum adhuc florere et maturescere pergant! Contra quantus horror, si ex ipsius pastoris negligentia vel contemtu usus iste rarescit, ut miserae oviculae, derelicto fonte aquae vivae diebus festis per viam Aegypti vagentur, ut bibant aquam turbidam, et per viam Babylonis, ut confringant jugum Domini!

## §. 590.

### De dispositione requisita.

1. ***Dispositio***, qua nos ad percipiendum tantum mysterium accedere oportet, tum animum tum corpus nostrum concernit. Quantum ad animum inprimis status *gratiae sanctificantis* requiritur, ne et nos tremebundi obmutescere cogamur ad regis coelestis exprobrationem: „*Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?*" Matth. 22, 12. Equidem *per accidens* hoc Sacramentum gratiam etiam primam conferre potest; attamen hic effectus prorsus extraordinarius est, et propterea *probet seipsum homo*, ne, cum indigne accesserit, *judicium sibi manducet et bibat.* Tum vero, quisquis se peccato gravi inquinatum meminerit, hanc maculam Sacramento poenitentiae eluere tenetur. Trid. Sess. XIII. cap. 7. Insuper ut hoc adorandum mysterium omni jam obice remoto *totam vim suam* in animum exserat, opus est, ut a peccatis etiam venialibus, aut certe a voluntario erga illa affectu immunes simus. Quamvis enim peccata venialia praecipuos Eucharistiae fructus haud evertant, illos tamen plurimum retardare solent.

2. Praeter conscientiae munditiem *devotus quoque animus* afferatur. Huc generatim omnes preces et virtutum exercitationes faciunt, quae hunc in finem instituuntur; praecipue tamen actus sequentes commendantur:

*a)* Viva et firmissima fides, qua Christum DEUM ac Dominum nostrum, etiamsi ejusdem personam intueri non liceat, vere tamen praesentem profitemur;

*b)* actus profundissimae humilitatis, qua indignitatem et miseriam nostram agnoscimus, atque de culpis nostris sincere dolemus;

*c)* admiratio infinitae charitatis, qua Unigenitus DEI

pro nobis nasci, crucifigi, imo et cibus noster fieri dignatus est;

*d)* omnimoda fiducia erga illum, utpote cui tanta salutis nostrae cura est;

*e)* desiderium nos cum ipso uniendi, ut ipse jam in nobis vivat, et nos in illo;

*f)* filialis charitas, qua nos totos ipsi offerimus, atque in omnibus ipsius semper placita sequi statuimus.

3. Dispositio *corporis* haec potissimum expetit: *a)* Jejunium naturale, de quo §. 291; *b)* eam sanitatem stomachi, ut periculum vomitus circiter ad dimidiam saltem horam absit; *c)* decentem vestitum, qui a squalore aeque ac studio vanitatis distet. Praesertim in accessu tam tremendo omnis tum oculorum tum vestitus procacitas caveatur. *d)* Demum suadent etiam, ne diem Communionis actus maritalis praecedat. Sed prout S. Franc. Sal. observat, „*indecens quidem, quamvis non graviter peccaminosum est, die Communionis petere debitum conjugale; at indecens non est, sed meritorium potius illud eadem die reddere. Adeoque si talis persona ad Communionem devote anhelat, ob redditionem hujus debiti ab illa non prohibeatur. Certe in primitiva Ecclesia Christiani quotidie communicabant, quamvis conjungati essent.*“ Philoth. P. II. c. 20.

4. Superfluum duco exponere, quid post S. Communionem, atque sacerrimo tempore Christi in nobis realiter commorantis nobis incumbat. Id unum addo, fideli populo saepe inculcandum esse, ut die, qua tanta ipsis salus obtigit, solicitam curam gerant gratiam divinam in cordibus suis jugiter conservandi, abstinentes a mundanis fabulis, risibus, choreis, compotationibus aliisque indecentiis.

## §. 591.

### De Communione spirituali.

1. Praeter susceptionem sacramentalem pii scriptores etiam ardens ejusdem desiderium, seu *Communionem spiritualem* commendant. Vid. Trid. Sess. XIII. cap. 8. Et certe piissimum hoc votum, prout Redemtori perquam acceptum, ita et insignis utilitatis erit. Hinc mentes vere devotae non semel tantum, sed iterato in dies hoc desiderium excitasse leguntur. Praecipue excitentur fideles, ut, quoties sacrificio Missae intersunt, id faciant. Trid. Sess. XXII. c. 6.

2. Hunc in finem unicum quidem et simplex animae anhelantis suspirium sufficit. Dum tamen Missae adstamus, opportunum erit, ut breviter iidem actus eliciantur, quibus ad sumtionem sacramentalem disponimur, atque ut sacerdoti celebranti intime nos conjungamus, quippe qui ceu publicus minister Ecclesiae divina mysteria et offert et percipit.

## §. 592.

### De adoratione Ss. Sacramenti.

1. Tanta est divini Redemtoris benignitas, ut non solum tempore sumtionis, sed tamdiu sub speciebus consecratis praesens esse voluerit, quamdiu species ipsae supersunt. Quid ergo dignum magis ac justum esse poterit, quam ut Ss. huic Sacramento cultum illum exhibeamus, quem latriam dicunt? Nam eundem illum DEUM in eo praesentem credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli DEI; quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse, scriptura testatur. Trid. Sess. XIII. cap. 5. Vid. ibid. can. 4. et 6.

2. Et quandoquidem amantissimus Redemtor nedum in magnis urbibus, sed etiam in singulis prope pagis, imo in templis etiam privatis perennem nobis sui copiam facit, civis, inquilinus ac contubernalis noster esse desiderans; quantopere amor, qui in nobis mutuus esse debet, nos provocat, ut frequenter et *cum fiducia adeamus ad thronum gratiae*, tum ad contestandam ipsi cordis nostri devotionem, tum „*ut misericordiam consequamur*, *et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*“ Hebr. 4, 16. Ipse nimirum Pater, Frater, Amicus, Medicus, Redemtor, et Advocatus noster est, imo Dominus, DEUS atque Judex noster. Quis ergo non habeat, quod quotidie exponat, rogitet, depreceturque coram facie ejus, praesertim cum ipsusmet nos invitare pergat: „*Venite ad me omnes*, *qui laboratis et onerati estis*, *et egó reficiam vos?*“ Matth. 11, 28.

3. Praesertim ad nos sacerdotes spectat, ut non solum pro majori populi aedificatione, sed ex singulari potius impulsu devotionis nostrae augustissimum hoc Sacramentum quotidie salutemus. Etenim exspectans exspectat nos, ut intendat nobis, et exaudiat preces nostras, nos inquam, quorum est plorare inter vestibulum et altare, quique coelo quodammodo vim facere jubemur, ut pluant nubes super populum pretiosa charismatum dona. Vel numquid, o sacerdos, o minister summi regis! habebit pro te amaritudinem conversatio illius, aut taedium convictus ejus, cujus deliciae sunt, esse cum filiis hominum? Vid. *Memoriale vitae sacerdotalis. Magunt. 1826.*

## §. 593.

### De sacrificio novae legis.

1. Sanctissimum altaris mysterium non solum Sacramentum est, quo JESUS Christus semet ipsum nobis man-

ducandum praebet, nosque jugi sua praesentia solatur; sed est veri quoque nominis *sacrificium*, quod a sacrificio crucis *sola offerendi ratione* differt. „*Haec est illa munda oblatio, quae per varias sacrificiorum naturae et legis tempore similitudines figurabatur; utpote quae bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.*“ Trid. Sess. XXII. can. 1. Quapropter hoc idem sacrificium merito totius religionis nostrae centrum atque culmen, omnium mysteriorum summum ac tale dicimus, quod omnem humanum captum infinities excedat. Quid profecto sublimius cogitari potest, quam *DEUM verum DEO vero, vero sacrificio in nostris altaribus et quidem amore nostri quotidie immolari?* Hac oblatione DEUM cultu vere infinito afficimus, estque nostri in DEUM, et vicissim DEI in nos amoris actus absque comparatione summus. Pariter eadem oblatione dignas pro acceptis beneficiis gratias rependimus, mirabili compendio summum beneficium accipiendo pro reliquis abundanter satisfacientes. Hac porro plurima rite poenitendi auxilia, peccatorum remissionem, abundantes gratias atque bonorum omnium ubertatem impetrare possumus. Vid. Oberr. §.§. 1291. et seq.

2. Etiamsi vero ex consideratione hujus sacrificii doctrinae asceticae campus vere immensus pandatur, quia tamen de illo jam §.§. 216. et seq. disserui, et brevis esse compellor, hoc loco ea tantum adduco, quae absque piaculo praeteriri nequeunt. Igitur sacrificium Missae est viva *commemoratio* Christi pro nobis patientis, ut *annuntiemus mortem ejus, donec veniat.* Atque jam sub hac ratione omnem illam utilitatem affert, quae ex pia repraesentatione passionis dominicae redundat. Ast idem sacrificium non tantum symbolum oblationis in cruce peractae, sed ejusdem insuper veram *iterationem* constituit. „*Una*

*enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.*" Trid. Qualis ergo nobis mens, et quis nobis sensus esse debebit, dum spectaculum infinitae charitatis — *DEI-Hominis pro nobis morientis* — oculis fidei quotidie praesens et coram intuemur! Quid, si mysterii sat gnarus Christum revera ex amore tui in cruce exspirantem vidisses? Et ecce, idem in altari peragitur sola offerendi ratione diversa! Quare Oberrauchius rem certe non exaggerat, ubi hoc infiniti amoris mysterium amore mutuo pariter infinito, imo perenni ac aeterno mentis raptu seu ecstasi dignissimum dicit.

3. Quantos porro gratiarum meritorumque thesauros hoc idem sacrificium in nos confert, utpote quo *fructus oblationis cruentae uberrime percipiuntur!* Est enim *latreuticum* et *eucharisticum*, quo fit, ut DEUM tum pro infinita ipsius majestate, tum pro beneficiis in nos collatis digne venerari liceat; est vero et *propitiatorium* et *impetratorium*, quod, ut Patres Tridentini pergunt, *non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis offertur.*"

4. Equidem, ut cl. Henr. Holden observat, „*vi solius Missae nihil meretur nobis Christus, sed per illam nobis applicantur (sicut et per Sacramenta) fructus meritorum ipsius;*" et pariter sacrificium Missae non eo modo operatur, quo operantur Sacramenta, eoquod gratiam proxime non tam efficiat, sed *impetret* potius; ast exinde illius dignitati ne parum quidem detrahitur, utpote quod vim hanc merita Christi applicandi, impetrandique gratiarum dona *non ex nobis*, sed ex *ipsius Christi institutione atque promissis* habet. Cumque sacrificium altaris cum illo, quod in cruce litatum fuit, quoad substantiam

unum idemque sit, ipsius valor inexhaustus plane et infinitus censeri debet. Summum certe nefas foret, hostiam infinitam, et quidem ab infinito simul Pontifice oblatam, valoris nonnisi finiti dicere. Attamen ab intrinseca hac ipsius sacrificii *sufficientia externa* ejusdem *efficientia*, seu *participatio nostra* distingui debet. Haec enim participatio tum ex intentione sacrificantis, tum ex eorum, pro quibus offertur, dispositione, tum demum ex Christi voluntate pendet, qui infinitum redemtionis pretium, atque gratias inde scaturientes in certa mensura dispensat, prout divinae providentiae placuerit. Quamvis igitur *Missa unica* ad omnia impetranda per se sufficientissima sit; DEUS tamen voluit, ut sanctissimum sacrificium assidue frequentantes non semel tantum, vel una alterave vice, sed quam saepissime ad divinum fontem recurramus. Vid. Liebermann.

5. „*Tu jam*," inquit Oberrauch., „*cura, ut vas sat amplum afferas ad hauriendas aquas de fontibus Salvatoris; vel saltem, si tuae capacitati diffidas, prout diffidere jure debes, haustus tuos frequentissime iterando supple, quod unica industria capere non potuisti*." Quapropter inprimis nos iterum sacerdotes summam erga hoc sacrificium reverentiam non solum ostendere, sed in animo nostro etiam fovere studeamus. Praeterquam enim quod *maledictus sit, qui facit opus Domini fraudulenter*, quid populus cogitare debebit, ubi nos ipsos, qui tremendum hoc mysterium toties commendamus, in eodem celebrando omni pietatis sensu destitutos, in accessu et recessu ab altari rebus nonnisi terrenis intentos, atque per omnia profanos conspexerit? „*Sanctificabor*," dicit Dominus, *in iis, qui appropinquant mihi, et in conspectu omnis populi glorificabor*." Lev. 10, 3. Ast praeter quotidianum devotionis exemplum, frequens etiam de excel-

lentia hujus sacrificii ad populum sermo instituatur, ut, si fieri potest, quotidie et quidem ea, qua decet, pietate Missae intersint. Iis vero, qui ex quacunque ratione templum adire nequeunt, commendetur, ut *spiritualiter* saltem, seu per fervens mentis desiderium illius se participes reddant, pastori suo, imo universae S. Ecclesiae pie se conjungentes. *„Dolendum itaque valde, quod multi tam parum hoc salutare mysterium advertunt, quod coelum laetificat, et mundum conservat universum. Heu caecitas et duritia cordis humani, tam ineffabile donum non magis attendere, et ex quotidiano usu etiam ad inadvertentiam defluere! Si enim hoc Ss. Sacramentum in uno tantum celebraretur loco, et ab uno tantum consecraretur sacerdote in mundo; quanto putas desiderio ad illum locum, et ad talem DEI sacerdotem homines afficerentur, ut divina mysteria celebrari viderent etc.?"* De imit. l. 4. c. 1.

## Caput IV.

### *De Sacramento poenitentiae.*

### §. 594.

#### De divina ejusdem institutione.

1. Si ea in regeneratis omnibus gratitudo esset, ut justitiam in baptismo acceptam constanter tuerentur; superfluum fuisset, aliud adhuc Sacramentum ad peccatorum remissionem institui. Quoniam autem DEUS dives in misericordia cognovit figmentum nostrum; illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, Sacramentum videlicet poenitentiae, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur. Dominus autem hoc Sacramen-

tum tunc praecipue instituit, cum a mortuis excitatus insufflavit discipulos suos dicens: *„Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.“* Quo tam insigni facto, et verbis tam perspicuis potestatem remittendi et retinendi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit. Atque hoc idem Sacramentum lapsis post baptismum ad salutem plane necessarium est, saltem in *voto*, ubi nulla illius actu recipiendi copia datur. Ita vix non verbotenus Patres Tridentini Sess. XIV. cap. 1. et 2.

2. Porro ad Sacramentum hoc suscipiendum ea omnia requiruntur, quae ad veram peccatoris conversionem, seu ad poenitentiam qua *virtutem* sunt necessaria. Insuper ratio Sacramenti *peccatorum confessionem* expetit, quam denique, ubi poenitens rite dispositus atque ad satisfaciendum paratus invenitur, absolutio sacramentalis sequitur. Quapropter, quia de poenitentia qua virtute jam §.§. 131. et seq. actum fuit, hoc loco ea tantum percensebo, quae Sacramento sunt specialia.

## §. 595.

### De contritione.

1. Juxta Trid. quasi materia hujus Sacramenti sunt ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Sess. XIV. can. 4. Et quidem *contritio* ibidem animi dolor ac detestatio dicitur de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero. Dividitur in *perfectam* et *imperfectam*, prout ex amore DEI vel perfecto vel imperfecto concipitur.

2. Porro ut dolor ad suscipiendum hoc Sacramentum sufficiat, requiritur, ut sit *a) verus*, seu actualiter in

mente exsistens; *b) formalis*, seu actus positivus, quo quis peccatum detestatur; *c) supernaturalis*, scilicet ex supernaturali tum principio tum motivo descendens; *d) efficax*, qui voluntatem peccandi plane excludat; *e) universalis*, qui ad omnia mortalia, quorum poenitens reum se fecit, extendatur, quamvis opus non sit, ut *singillatim* id fiat; imo distincta singulorum recordatio interdum etiam periculosa foret; demum requirunt, ut sit *f) appretiative summus*, seu ut quis quodcunque malum perpeti malit, quam DEUM denuo peccato gravi offendere.

Attamen, ut S. Bonaventura inquit, caveant infirmiores, ne peccatum inter et reliqua mala particulares comparationes instituant. Ejusmodi suggestiones potius respuere, et mentem alio divertere decet, ne forte cum daemone plura disputantes prae imbecillitate ipsius fallaciis succumbant.

3. Itaque, prout jam §. 136. ostensum fuit, ubi nulla hujus Sacramenti copia datur, contritio quidem perfecta requiritur; cum Sacramento autem etiam attritio cum spe veniae et charitate saltem initiali sufficit. Nam

*a)* etiam, prout Tridentinum docet, attritio ex metu poenarum concepta est donum DEI, et impulsus Spiritus sancti, quo poenitens adjutus viam sibi ad justitiam parat, et quo ad DEI gratiam in Sacramento impetrandam disponitur.

*b)* Attamen ubi timor nullum plane erga DEUM amorem sibi conjunctum habet, neque peccandi voluntas excluditur, neque vera hominis conversio seu reditus ad DEUM cogitari potest. „*Qui non diligit, manet in morte.*" I. Joann. 3, 14. Qui omni amore destitutus timore nonnisi *serviliter servili* agitur, cum mercatore comparari potest, qui in magna tempestate, ut mortem evadat, suas equidem merces in mare projicit, ita tamen, ut ipsius affectus iisdem agglutinatus ma-

neat. Ita, inquam, et talis „*in ipsa voluntate reus est; quia mallet, si fieri posset, non esse, quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat.*“ S. Aug.

4. Sincera contritio de peccatis necessario involvit *propositum non peccandi de cetero.* Quia tum de necessitate tum de dotibus hujus propositi jam §. 137. egi, hoc loco id unum adverto, dum propositum *firmum* et *efficax* requiritur, id non de *effectu futuro*, sed de *praesenti tantum animi affectu* intelligendum esse; tanta est enim fragilitas hominis, ut decreta etiam firmissima lapsu temporis facillime languescant. Quid vero, si poenitens jam tempore confessionis in peccatum grave relapsurus praevideatur? Si tantummodo confessarius id praevideat, propositum poenitentis, dum eidem se sistit, nihilominus firmum et efficax esse potest. Ast si poenitens ipse de emendatione sua desperat, illam utique nec decernere poterit; fieri enim nequit, ut quis illud firmiter statuat, cujus nulla ipsi spes affulget. Attamen *sola formido* de novo peccandi cum firmitate propositi omnino componi potest, siquidem tales parati sint media praescripta sedulo adhibere, et quo se infirmiores sciunt, eo majori fiducia ad DEUM confugiant, „*qui potens est omnem gratiam abundare facere in nobis.*“ II. Cor. 9, 8.

5. Atque tum doloris tum propositi tanta est necessitas, ut illis deficientibus totum poenitendi negotium cassum et invalidum fiat. Etiamsi quis nonnisi venialia confiteatur, imo in ipso mortis articulo, absolutio omni valore destituitur, si necessarius dolor deest. Huic ergo et confessarius praecipuam curam impendat, cum certe pleraeque hujus Sacramenti frustrationes ex defectu doloris atque propositi oriantur. Et hic quidem defectus saepe ex modo deprehenditur, quo poenitens se accusat; si e. g. valde per-

functorie, mechanice, vel omnino elato supercilio id fiat, si poenitens vanas identidem excusationes inserat, contra monita confessarii sese pervicacem ostendat etc. Ast ne ipsae quidem lacrymae certum semper doloris supernaturalis indicium praebent; dantur enim, qui nonnisi damna sua temporalia deplorant, vel etiamsi de peccatis suis ingemiscant, necessario tamen animo destituuntur occasionem proximam deserendi, faciendique, quod ipsis incumbit.

6. Cave tamen, o sacerdos, ne tales asperius tractes, atque, ut S. Carol. Borr. inquit, culpa tua inducas, ut vel desperent, vel a confessione abhorreant. Neque generatim expedit tales remittere, ut majori industria se praeparent; cultiores enim exinde offenduntur, homines vero obtusi ingenii sibimet plerumque consulere nesciunt. Quare, dummodo spes aliqua supersit, tu ipse allabora, ut, quos minus dispositos arbitraris, prudenti suavique agendi ratione disponas. Quem in finem sequentia animadvertenda putavi:

a) Quia legitimus dolor de peccatis est *donum DEI*, pro conversione peccatorum frequentes ad DEUM preces dirige, atque in ipso confessionali, dum talis peccator tibi advolvitur, breviter ad coelum suspira, ut hanc animam lucrari possis, dicens cum piissima Judith: „*Confirma me Domine DEUS Israël, et respice in hac hora ad opera manuum mearum.*" Jud. 13, 7.

b) Tum pro diversa poenitentium indole et scelerum gravitate talia illis momenta propone, quae ipsorum captui maxime accommodata et prae reliquis efficacia videntur, tum ut de peccatis suis exhorrescant, tum ut per charitatem saltem initialem in DEUM moveantur. Hujusmodi sunt: Pessima consectaria in praesenti jam vita, turpitudo peccati, viva repraesentatio novis-

simorum, infinita DEI longanimitas, qua nos tamdiu exspectavit, beneficia, quae in nos contulit, exempla sanctorum poenitentium, gaudium Angelorum de peccatore poenitentiam agente, praesertim mysteria Christi amore nostri patientis, in cruce exspirantis, praesentis in Ss. Eucharistia etc. etc. Vid. Manuale Brixin. de Sacram. poenit.

*c)* Haec porro motiva, quae pro unoquoque selegeris, non tumultuarie, sed *clare*, *breviter*, cum affectu *piae compassionis*, atque cum *coelesti unctione* illi suggere, ut, quae ipsi proponis, ipsusmet sincere sentias.

*d)* Qui nonnisi venialia confitentur, data opportunitate hortandi sunt, ut unum saltem alterumve, vel etiam peccata vitae praeteritae serio detestentur.

*e)* Denique formidolosis *animus* addatur, ut, quamvis se perquam infirmos experiantur, invictam tamen erga DEUM fiduciam concipiant. „*Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion; non commovebitur.*“ Ps. 124, 1. Non permittatur, ut tales difficiles sibi casus rerumque eventus imaginentur; sed monita confessarii sedulo exequentes omnem suam solicitudinem in DEUM conjiciant; *ipsi enim est cura de nobis.*

## §. 596.

### De necessitate confessionis.

1. *Confessio* sacramentalis est legitima coram sacerdote accusatio de peccatis suis post baptismum commissis ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Scilicet universa Ecclesia semper tenuit, peccatorum saltem gravium confessionem a Christo institutam, atque omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam esse. Etenim

Dominus noster JESUS Christus e terris ascensurus in coelos sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tamquam praesides et judices, dicens: „*Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.*“ Joann. 20, 22. et seq. Cf. Matth. 18, 18. Atqui sacerdotes neque prudens judicium exercere, neque in poenis injungendis aequitatem servare possent, si poenitentes in genere tantum, et non potius in specie ac singillatim sua ipsis peccata faterentur. Qualis enim sententia, quae a constituto judice causa incognita fertur? Hinc poenitentes omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione exponere tenentur, etiamsi occultissima et mere interna illa sint. Qui secus faciunt, et scienter aliqua reticent, nihil divinae bonitati per sacerdotem remittendum proponunt; si enim erubescat aegrotus medico vulnus, quod iste ignorat, detegere, medicina non curat. Colligitur praeterea, etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quae speciem peccati mutant, utpote sine quibus fieri non potest, ut gravitas criminum rite aestimetur, et poena conveniens imponatur. Peccata venialia, quamquam recte et utiliter in confessione exponantur, prout piorum quoque hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt. Quis ergo confessionem, quae hac ratione praecipitur, impossibilem, vel conscientiarum carnificinam dicere praesumat, cum Ecclesia aliud non postulet, quam ut poenitens ea peccata confiteatur, quibus post diligentem conscientiae discussionem sese Dominum et DEUM suum mortaliter offendisse meminerit? Reliqua enim, quae diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur; quorum causa cum Propheta dicimus: „*Ab occultis meis munda me Domine.*“ Ipsa vero confessionis difficultas et

verecundia gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis et consolationibus levaretur, quae omnibus digne ad hoc Sacramentum accedentibus per absolutionem certissime conferuntur. Trid. Sess. XIV. cap. 5. Cf. Klüpfel de Sacram. poenit. §. 99.

2. Ast de novo quaeritur, *quando et quoties* haec confitendi obligatio homini christiano incumbat. Et quidem summopere optandum, hinc et fidelibus enixe commendandum est, ut, ubi infeliciter succubuerunt, confessionem non differant, sed quamprimum cum DEO reconciliari annitantur. §. 85. Praecipue lex divina confessionem urget, *a)* si quis peccati gravis et nondum expiati sibi conscius in propinquum periculum mortis conjicitur, utpote cum susceptio hujus Sacramenti omnibus post baptismum lapsis necessaria sit, ita ut deficiente omni confitendi occasione implicitum saltem ejusdem *votum* requiratur, Trid. Sess. XIV. cap. 4.; *b)* quoties talis vel Eucharistiam, vel aliud Sacramentum, quod *vivorum* dicitur, suscepturus est. Ibid. Sess. XIII. cap. 7.

3. Praeterea a Concilio Lateran. sub Innoc. III. statutum, a Tridentino vero firmatum fuit, „*ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia sua peccata confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti, et injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere.*" Trid. Sess. XIV. can. 8. Quam ob rem sequentia iterum notanda veniunt:

*a)* Hoc praeceptum omnes, et quidem sub gravi obligat, qui ad *annos discretionis* pervenerint, quorum tamen determinatio parocho relinquitur.

*b)* Confessio annua proprio sacerdoti seu pastori fieri debet, nisi ipsusmet licentiam dederit alteri confitendi, vel alicubi, prout in nostra dioecesi, consuetudo in-

troducta sit, ut apud quemcumque sacerdotem approbatum fieri queat.

c) Huic praecepto nequaquam satisfit per confessionem sacrilegam. Idem de Communione paschali obtinet. Vid. proposit. ab Innoc. XI. damnatas. Atque hoc tum annuae confessionis tum Communionis paschalis praeceptum unacum statutis poenis, quae tamen *ferendae sententiae* sunt, quotannis in Ecclesiis publicetur, ne quispiam obtentu ignorantiae semet excusare possit.

## §. 597.

### De confessionis integritate.

1. Materiam confessionis in *necessariam* et *sufficientem* dividunt. Ad priorem omnia peccata lethalia pertinent, quae post baptismum perpetrata, et hucusque nondum directe remissa sunt *). Contra peccata venialia, vel etiam gravia, sed jam in priori confessione directe remissa materiam *sufficientem* constituunt.

2. Pari modo duplicem confessionis integritatem distinguunt, *materialem* nempe et *formalem*. Illa aderit, si poenitens reapse omnia peccata mortalia quoad numerum, speciem infimam et circumstantias necessario exprimendas confiteatur, quorum post baptismum se reum fecit, et a quibus necdum directe absolutus fuit. Integritas autem formalis datur, siquis peccata sua mortalia eatenus et ita exponit, prout illa in datis circumstantiis confiteri potest

*) Scilicet aliquando peccata etiam gravia delentur quidem, ast *indirecte*, et ita, ut postmodum, siquidem fieri possit, potestati clavium subjici debeant, e. g. ubi poenitens citra suam culpam peccatum aliquod grave confiteri oblitus fuit, et ejusdem postea recordatur.

atque tenetur, e. g. prout post diligentem conscientiae discussionem ejusdem memoriae occurrunt.

Et haec quidem instituendi examinis diligentia non quidem anxia, attamen talis sit, qualem viri prudentes in aliis negotiis gravibus adhibere solent. Neque in omnibus eadem solertia requiritur, sed plurimum interest, cujus conditionis sit poenitens, quae et quales obligationes ipsi incumbant, quantum temporis ab ultima confessione jam elapsum, quibus periculis et occasionibus quis expositus fuerit.

3. Quamvis porro integritas *materialis* optanda foret, *formalis* tamen omnino sufficit, quippe cum ad impossibile nemo obligari queat. Huc igitur pertinet, ut poenitens peccata mortalia, quae ejusdem memoriae post diligens examen occurrunt, omnia exponat, et quidem

*a)* quoad *numerum;* praeterquam enim quod totidem sint peccata distincta, relapsus frequentior etiam media multo efficaciora petit; quodsi *certus* numerus designari nequeat, talis adhibeatur, qui vero videtur simillimus, addendo, peccatum *circiter* toties contigisse; vel exponatur, quoties illud per mensem, hebdomadam vel per singulos dies patratum fuerit; (qua ratione numerus peccatorum computandus sit, vide §. 120. et seq.)

*b) quoad speciem infimam;* qui v. g. contra castitatem peccavit, turpitudinem suam non generatim tantum fateri, sed specifice exponere tenetur, quale peccatum commiserit, utrum fornicationem, an contra naturam etc.;

*c)* una cum *reliquis circumstantiis*, quae peccati speciem mutant, quasque §. 120. ex violatis debendi titulis repetii;

*d)* demum vix non certum videtur, etiam eas circum-

stantias in confessione exponendas esse, quae malitiam peccati intra eandem speciem *notabiliter aggravant*. Equidem Tridentinum nullam earundem mentionem facit; ast inprimis etiam pro his eadem ratio militat, ex qua sacra Synodus jubet, ut circumstantiae *speciem mutantes* exponantur, scilicet ut confessarius tum gravitatem peccati rite dijudicare, cum convenientem poenitentiam injungere sciat. Profecto tam judicis quam medici plurimum interest, ut resciant, quantum malum illud sit, contra quod vel sententiam ferre, vel cui mederi oportet. Imo hinc inde multo magis refert, ut detegatur circumstantia aggravans, quam qua species mutatur. Deinde catechismus Rom. jussu Pii V. super Trid. editus hanc nostram sententiam diserte adstruit. P. II. c. 5. q. 41. Omnium minime has circumstantias ignorare licet, ubi de *officio restitutionis* quaeritur.

Idem fere de circumstantiis, quibus peccati gravitas *notabiliter imminuitur*, dicendum est. Absit quidem, ut poenitens errata sua conquisitis undiquo excusationibus tegere vel extennare studeat; attamen quando circumstantia vere imminuens intercessit, hanc omnino proferre decet, ne judicium confessarii pervertatur, e. g. siquis semisopitus, vel sui non satis compos in turpitudinem consensit. Ast quandonam circumstantiae occurrentes *notabiliter* aggravantes, imminuentesve censeri debent? Ni fallor, circa hanc quaestionem eadem obtinent, quae §. 107. de dimetienda peccatorum gravitate generatim dixi. Momenta circumstantiarum sentiri potius, quam ad apicem determinari possunt. Vide igitur, quid homines prudentes et timoratae conscientiae de circumstautiis, quae in dato aliquo casu occurrunt, passim sentire consueverint. Generatim dici potest, illas circumstantias esse notabiliter aggravantes, et obinde in confessione *necessario* exprimendas, quibus *a)* peccatum, alias leve, in concreto grave redditur, et *b)* quantum ad peccata aliunde gravia, si peccato principali ex circumstantiis revera novum momentum

accedit, quod a confessario in ferenda sententia omnino attendi debet, ita ut ipsius judicium erroneum redderetur, nisi circumstantiae illae exprimantur, e. g. an poenitens sit consuetudinarius, in occasione proxima constitutus etc.

4. Quaeritur etiam, ntrum *peccata dubia* in confessione exponi debeant. Plerique triplicem quaestionis statum distinguunt: *a)* An id, quod constat esse peccatum mortale, reapse commiseris; *b)* an, quod commisisti, fuerit mortale, vel ob imperfectionem actus parvitatemve materiae nonnisi veniale; *c)* an mortale a te commissum non jam rite confessus sis. His praemissis sequentia respondenda censeo: Inprimis si ejusmodi dubia ab hominibus vere scrupulosis afferuntur, contemnenda potius, quam audienda sunt. Quodsi vero homines a nota anxietatis immunes taliter dubitant, saepenumero *ex communiter contingentibus* atque ex praedominante illorum indole prudens praesumtio inferri potest. Scilicet qui generatim ab omni gravi peccato sincere abhorret, et insuper confessiones suas rite instituere satagit, vel quantum ad vitam praeteritam magna cum diligentia confessionem generalem peregit, hujus generis dubia, nisi ratio praeponderans in oppositum premat, prudenter contemnere potest. Ast contrarium in iis obtinet, qui vel in mortalia passim consentire solent, vel peccata commissa absque debita diligentia confiteri, vel omnino quaedam voluntarie omittere consueverant, quin hos defectus per confessionem generalem hucusque redintegrarint. Tales, etiamsi de uno alterove peccato tantummodo dubitare videantur, praesumtionem tamen sat solidam *contra se* sustinent. Pro illis tamen casibus, ubi neque talis praesumtio locum habet, haec subjicio:

*a)* Qui prudenter dubitat, utrum peccatum grave a se olim commissum rite confessus fuerit, ad confessionem tenetur; tum enim lex est in possessione.

*b)* Dubitans, utrum peccatum vere lethale commiserit, ex sententia sat communi non tenetur illud confiteri. Attamen *consultius* certe faciet illud exponendo, idquod etiam praxis omnium piorum habet. Et nescio, annon tum pietas nobismet ipsis, tum reverentia Sacramentis debita veri nominis obligationem involvat. Etenim difficultas temet *sub dubio* accusandi est tam exigua, si cum interna pace et securitate comparetur, quae inde subsequitur; utquid ergo statum tuum occultes? Si confessarius contra peccatum dubium certam sententiam ferre nequit, saltem *mederi* potest, ut, quidquid sit, jam tranquillus esse queas. Quid demum in articulo mortis faceres, coram tribunali divini judicis mox sistendus? Fac ergo modo, quod tunc te fecisse laetaberis.

*c)* Interim peccata dubia vel minus certa etiam *qua talia* fateri oportet, ne plus sit in confessione, quam quod est in conscientia.

5. Attamen ab integritate materiali non sola oblivio, sed etiam aliae molestiae excusant, siquidem vere graves et extraordinariae sint, e. g. in naufragio, imminente bellico conflictu, tempore pestis, dum periculum contagionis urget; item siquis linguae alienae ignarus nonnisi per interpretem confiteri queat etc. Non vero sola poenitentis verecundia, etsi gravissima sit, eximit; haec enim, praeterquam quod imprudens sit, confessioni est connata, et ipsius praecepti divini partem constituit. Neque sola populi frequentia excusat, etiamsi in magno hominum concursu multi sine absolutione discedere cogantur. Assertio contraria ab Innoc. XI. damnata fuit.

Quid vero, siquis peccatum grave nonnisi cum *infamia complicis* confiteri possit? Talis utique bene aget sacerdotem adeundo, cui complex ignotus sit. Attamen si hoc fieri ne-

queat, integritas confessionis omnino praevalere videtur; quodsi enim, prout omnes concedunt, consilii vel subsidii causa peccatum alterius fido amico aperire licet, quanto magis in confessione sacramentali, ubi, quidquid judici innotescit, inviolabili sigillo obseratur?

6. Interim quamvis poenitens a peccatis, quae vel ex oblivione vel ex justa causa omisit, indirecte absolutus fuerit, illa tamen, ubi eorundem postea recordatur, vel causa tacendi cessat, confiteri tenetur. Idem de necessariis circumstantiis dicendum est, quas poenitens olim inculpabiliter non exposuerat. Quodsi aliquis per longius tempus tam perdite vixit, ut adhibita etiam magna industria omnes circumstantiae et definitus peccatorum numerus designari nequeant; talis conditionem suam satis explicasse censetur, si dicat, quamdiu huic consuetudini inhaeserit, cujus speciei peccata sua, et quoties circiter per hebdomadam ab ipso patrata fuerint. Generatim qui post discussam diligenter conscientiam sincere statum suum, vitam, consuetudinem, peccatorum species, tempus, quo in illis haesit, et addito verbo *circiter* approximativum numerum aperuit, non tenetur postea repetere, etiamsi hujus illiusve distinctius recordetur, aut in numero excessus vel in se, vel respective ad magnam summam nonnisi *exiguus* detegatur. Qui vero ex oblivione certam peccatorum speciem non exposuit, vel si multitudo numerum in confuso allatum notabiliter excedat, talis redeunte horum memoria defectus suos supplere debet.

Si peccatorum copia memoriam superat, multi dicunt, non dari obligationem eadem scripto notandi, eoquod haec industria sit extraordinaria. Attamen, siquidem poenitens scribendi peritus, neque timendum sit, ne id ab aliis advertatur, haec assertio non sat solida videtur; nam ut negotia nostra, quae memoriam excedunt, scriptis mandemus, non extraor-

dinaria, sed communis potius et consueta hominum prudentum industria prae se fert.

## §. 598.

### De reliquis conditionibus.

1. Praeter integritatem plures aliae conditiones requiruntur, praesertim ut sit vera, secreta, humilis, discreta et simplex. Et quidem contra *veritatem* peccat non solum, qui justo minus, sed etiam qui justo plus confitetur, atque sic judicium confessarii fallit. Hinc male agunt homines meticulosi, vel etiam valde rudes, qui peccata dubia tamquam certa, et ne in numero deficiant, plura, quam quorum sibi conscii sunt, fatentur.

2. Insuper confessio *secrete*, et nonnisi sacerdoti eatenus praesenti fiat, ut se mutuo audire queant. Huc propositio a Clem. VIII. damnata spectat: „*Licet per literas, seu per internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem recipere.*" Simul Pontifex declaravit, id non tantum *copulatim*, sed etiam *divisim* intelligendum esse, ita ut nec absolutio, nec confessio fieri possit inter absentes.

3. Demum confessio sit *humilis*, dum poenitens culpam atque miseriam suam sincere agnoscit; *simplex*, ut superflua, et quae ad rem non pertinent, resecentur; *discreta*, quo refertur ex *parte poenitentis*, ut peccata sua clare quidem et complete, attamen verbis, quantum conceditur, honestis, et sine diffamatione aliorum exponat; ex *parte confessarii* autem, ne fors per imprudentes interrogationes increpationesve intempestivas poenitenti plus noceat, quam prosit.

4. Ceterum illius semper memores simus, quod S. Greg. M. docet: „*Signum verae confessionis non est in oris confessione, sed in afflictione poenitentiae. Tunc*

*namque bene conversum peccatorem cernimus, dum digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. In fructu ergo, non in foliis aut ramis poenitentia cognoscenda est; quasi arbor quippe bona voluntas est; confessionis ergo verba quid sunt aliud, nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt; quia idcirco omnis confessio peccatorum recipitur, ut fructus poenitentiae subsequatur. Unde et Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit, quia confessionis ornamentum non recipit sine fructu afflictionis.*" L. 6. in I. Reg. c. 15. Quapropter falluntur, qui nonnisi de prolixa expositione quotidianorum suorum defectuum soliciti exiguam doloris ac verae resipiscentiae curam gerunt. Attamen nihil eorum omittendum, quae ad necessariam integritatem spectant; quia „*qui peccata sua occultat et erubescit salubriter confiteri, DEUM, quem judicem habebit, habebit et ultorem.*" S. Aug. serm. 66. de temp.

## §. 599.

### De confessione generali.

1. Non displicebit, si hac occasione nonnulla de confessione generali addam. Hanc aliquibus necessariam, aliis utilissimam, aliis demum nocivam dicunt. Necessaria scilicet haec priorum confessionum repetitio illis est, qui hucusque quidpiam eorum, quae ad valorem hujus Sacramenti requiruntur, omiserunt. Huc pertinent:

*a)* Qui in confessionibus praecedentibus, si non certo, probabiliter tamen necessario dolore atque proposito destituebantur; idquod de illis maxime timendum est, qui per aliquod tempus vel prava consuetudine irretiti, vel in occasione proxima constituti vixerunt, item qui diu cum inimicis suis reconciliari, injunctam restitu-

tionem peragere, vel aliud grave officium, etiamsi saepius moniti fuerint, exequi neglexerunt. Tales igitur juxta mentem S. Caroli non solum pia cum charitate excipi, sed etiam serio moneri debent, ut priores confessiones, utpote merito suspectas, repetant.

*b)* Qui ex malesana verecundia peccatum aliquod reticuerunt, quod tamen necessario exponendum erat, quin hunc defectum hucusque suppleverint. Ad eandem classem et illi spectant, qui studio confessarium vel surdastrum, vel indoctum adierunt, vel etiam directe mortalia ambigue, vel voce tam subtili confessi sunt, ut a confessario non intelligerentur; item *in fide* ignorantes adeo, ut ne illa quidem noverint, quae sunt de necessitate medii.

*c)* Denique et illis officium repetendi incumbit, qui postmodum resciunt, confessarium vel debita jurisdictione caruisse, vel ob somnolentiam, surditatem aut aliam causam mortalia ab ipsis exposita non intellexisse.

Hi ultimi ex *hoc solo defectu*, quem postmodum detegunt, non quidem ad confessionem generalem, sed ad ea tantum repetenda tenentur, circa quae taliter erratum fuit. Insuper quantum ad peccata reservata in nostra dioecesi statutum est, ut, siquis ex *confessarii inadvertentia ad reservationem* a reservato absolvitur, haec absolutio sine ulteriori onere valeat. Constit. synod. tit. 14. §. 18.

2. Aliis, quamvis haud necessaria videatur, confessio tamen generalis insigni adjumento esse solet, quippe quae, ubi cum efficaci amplioris profectus desiderio jungitur, plerumque vel vitae melioris initium, vel ad ulteriores in virtute progressus efficacissimum subsidium constituit. Praesertim id obtinet, dum quis novam vivendi conditionem, statum e. g. sacrum vel conjugalem auspicatur. Generatim

talis vitae praeteritae accusatio hinc inde repetita plerisque utilissima accidit; dum enim omnes omnino noxas, quae vel a prima pueritia, vel ab aliquo tempore memoriae occurrunt, uno quasi obtutu perlustrant, ad saluberrimam compunctionem provocantur, dolor multo intensior excitatur, quam in confessionibus consuetis; admirantur divinam longanimitatem, et sacerrima emendationis decreta concipiunt. Insuper director spiritualis statum conscientiae animique multo melius perspicit, et praesertim cor taliter contritum et humiliatum ad percipienda majora gratiarum charismata praeclare disponitur. Hinc denuo patet, quanta sit utilitas sacrorum exercitiorum, in quibus praeter reliqua virtutis incitamenta mens nostra villicationis suae ab aliquo tempore, e. g. ab anno ad annum rationem reddit. §. 577. Sic enim, ut de reliquis emolumentis taceam, pervidemus, quis sit profectus noster, quae periculosiores appetitiones, et generatim, quae nobis magis infesta, quaeque prae reliquis proficua videantur. Imo rarum non est, ut confessio generalis iis, quibus nonnisi utilis credebatur, per accusationis decursum tamquam necessaria appareat.

3. Attamen confessio generalis, praesertim saepius repetita etiam nocere potest, hominibus nempe timidis et scrupulosis, qui, etiamsi labes suas jam iterato exposuerint, suas tamen confessiones identidem repetere cupiunt. Verum hos denuo audire idem foret, ac turbare nidum vesparum. Scilicet, ut B. Leon. a Portu Maur. ait, horum morbus illis oculorum defluxionibus comparari potest, quae, quo saepius fricantur, eo acerbius recrudescunt. Cum enim illorum scrupuli non ex ratione, sed ex incomposita phantasia, atque e vanis apprehensionibus oriantur; aliter ad tranquillitatem reduci nequeunt, nisi sacerdotali auctoritate iisdem imperetur, ut directoris judicio firmiter acquiescant, secus agendo non devotionem, sed pertinaciam ostensuri.

Quodsi tales vitam anteactam hucusque nunquam confessione generali expurgarunt, ad illam quidem admitti possunt, ita tamen, ut confessarius eorum phantasiam pro viribus compescat, tumque perpetuum illis silentium imperet.

4. Quod *modum* spectat, confessio generalis, ubi temporis personarumque circumstantiae aliquam moram concedunt, non quasi *ex abrupto*, sed tum demum admittatur, postquam poenitens aliquamdiu piis exercitiis praeparatus et dispositus fuerit. Praesertim homines gravibus hucusque vitiis obnoxii plerumque per aliquod tempus praevie disponi debent, non tantum ut conscientiam suam rite discutiant, sed praecipue ut ad sincerum animi dolorem, firmumque vitae melioris propositum excitentur. Hunc in finem praeclare faciunt meditationes, quas S. Franc. Sales. confessioni generali praemittendas censet. Philoth. P. I. cap. 9. et seq. Attamen saepissime contingit, ut poenitentes, quibus talis confessio necessaria, vel certe perutilis videtur, alio tempore redire nequeant; tumque aliud non restat, quam ut confessarius ipse illos pro viribus disponat. Quam ob rem ea huc transfero, quae B. Leon. a Portu Maur. de confessione generali suadet, vir utique non solum vitae sanctitate, sed etiam rerum experientia insignis plane.

5. Itaque inprimis, qui confessionem generalem cogitant, ad eam saltem vitae praeteritae discussionem inducantur, ut confessario sciscitanti sufficienter respondere possint. Neque in omnibus eadem exactitudo requiritur; praesertim merae infirmitates et peccata nonnisi venialia praeteriri possnnt, utpote quibus conscientia tantummodo perplexa redderetur. Insuper jam supra indigitatum fuit, non expedire, ut poenitens in peccata, quae contra castitatem commisit, adeo singillatim inquirat; sufficit, ut illa quoad substantiam et necessaria adjuncta confiteatur, quin omnes obscoenitates, quae absque ulteriori declaratione sa-

tis intelliguntur, minutim explicet. Similiter ex iis, quae §. 597. attuli, constat, qua ratione peccatorum numerus circiter designari possit.

6. Dum igitur ad audiendam confessionem generalem pro sacro tribunali sedes,

*a)* poenitentem taliter excipe, prout temet ipsum excipi velles. Etiamsi fors rudis vel agrestis sit, vel intempestive veniat, cave tamen, ne ullam oris frontisve duritiem, aut aliquod indicium fastidientis animi illi ostendas. Potius tum verbis tum vultus serenitate, atque amica compassione illum ad fiduciam et omnimodum sinceritatem hortare, tua obsequia offer, eumque proposita spe summi solatii, quod exinde percepturus sit, ad ordiendum tantum negotium alacrem redde.

*b)* Tum indagabis, utrum confessio generalis eidem necessaria videatur, an vero tantum ex devotione illam facturus sit; item utrum nunquam hucusque, vel jam una alterave vice generaliter confessus fuerit. Si enim citra necessitatem solius devotionis studio poenitens se sistat, tanta severitas haud requiritur. Pari modo eum, qui aliquando confessionem generalem legitime deposuit, ex hoc tantum tempore audire sufficit.

*c)* Antequam poenitens vitam anteactam exponat, de iis se accuset, quae ab *ultima confessione* commisit; id quod sub duplici ratione commendatur; inprimis ut scias, utrum poenitens ex *praesenti sua dispositione* absolutionis sit capax, an e. g. adhucdum consuetudinarius, vel in occasione proxima existat, quo in casu confessio generalis differenda foret; et insuper ne peccata jam in aliis confessionibus exposita cum recens commissis confundantur.

*d)* Quodsi poenitens ad confessionem generalem admittendus videtur, ejusdem statum, aetatem, vivendi mo-

rem aliasque circumstantias scitu necessarias praevie exploratas habere juvat, ut quaestiones eidem convenientes proponi possint. Tumque suaviter inducendus est, ut praeprimis de illis se accuset, quibus maxime angitur, vel quorum accusatio ipsi prae reliquis molesta accidit. Etenim his expositis cor poenitentis multum relevari, et reliqua confessio multo facilior reddi solet.

*e)* Quae attentis poenitentis circumstantiis penitius inquirenda sint, ex regulis generalibus, quas §. 621. suppeditabo, facile eruitur.

*f)* Ultima demum quaestio erit, num nihil ipsi occurrat, quo ejusdem conscientia adhucdum gravetur. Quodsi nihil superesse videatur, hortaberis, ne in vitam praeteritam curiosius indagare pergat; si vero ultro peccati gravis, cujus nunc oblitus est, postmodum recordetur, id simpliciter in proxima confessione exponat addendo, se in confessione generali de illo non cogitasse.

7. Et haec quidem *accusationem* concernunt. Ast non minor solicitudo impendatur, ut cor poenitentis pro diversis ejusdem indigentiis ad veram contritionem, ad humilitatem, ad spem et fiduciam erga DEUM, ad filialem gratitudinem atque ad optatam tranquillitatem componatur. Hunc in finem jam sub ipsa confessione per breves interjectiones poenitentem nunc ad peccatorum gravitatem, simul vero ad divinam misericordiam attentum reddere, nunc ad sinceritatem et fiduciam hortari, nunc officia sua docere, nunc solari poteris; absit vero, ut, dum peccata fors valde atrocia fatetur, illum vel durius increpes, vel horrorem aut fastidium ostendas. Demum confessione finita affectu vere paterno instabis, ut ipsius animus non solum pie conteratur, sed etiam firmissima emendationis decreta

concipiat; quapropter illum instrui oportet, qua ratione tum DEO tum hominibus, quos fortasse laeserat, satisfacere, quamque vivendi rationem tenere, seu quae declinare pericula, et quae subsidia adhibere debeat, ne conscientia nunc expurgata — per summam ingratitudinem erga Patrem adeo benignum — novis sordibus contaminetur etc.

Si compereris, ipsum hucusque sacrilege ad diversa Sacramenta accessisse, etiam horum sacrilegiorum quoad numerum et speciem se reum fateri debet, et quidem de Sacramento poenitentiae et Eucharistiae addendum est, utrum tempore paschali etiam praecepto Ecclesiae tali modo defuerit.

## §. 600.

### De satisfactione.

1. Pars demum tertia, quae hujus Sacramenti quasi materiam constituit, atque ad ejusdem integritatem spectat, est *satisfactio*, seu opus aliquod bonum virtute clavium injunctum ad persolvendam poenam temporalem pro peccatis remissis adhuc restantem. Cf. §. 138. Et quidem, prout Trid. rem definit, debent sacerdotes, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere; statuitur simul, ut satisfactio, quae imponitur, non sit tantum ad novae vitae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Sess. XIV. cap. 8.

2. Quare etiamsi ex moderna Ecclesiae disciplina determinatio satisfactionis prudentiae confessarii relinquatur; non tamen ex ejusdem lubitu pendet, quid poenitenti praescribat; sed pro criminum qualitate, attentisque poenitentis viribus satisfactiones *salutares* et *convenientes* injungere tenetur, „*ne, si forte peccatis conniveat, et indul-*

*gentius cum poenitentibus agat, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum particeps efficiatur.*" Trid.

3. „*Et quidem circa poenitentias* medicinales, *seu quae necessario praescribendae sunt ad avertendum relapsum in peccatum grave, oportet juste severum esse, non tamen modum excedere. Stricte obligari poenitens ad ea tantum potest, quae sufficientia sunt ad* probabilius periculum *relapsus juste avertendum. In poenitentiis autem* vindicativis *conceditur infirmitati poenitentis quodammodo pie commisereri; quamvis nunquam non hortandus sit, ut sua sponte velit operibus praescriptis addere alia, quae apta sunt ad satisfaciendum divinae justitiae. Malunt saepe homines sequi consilium, quam obedire praecepto. Poenitentiae exoticae, nimis variae, item quas poenitens praevidetur expleturus non esse, imponendae non sunt. Plus prodest poenitentia minus diuturna minusque molesta, sed quam poenitens multo fervore doloris et charitatis peragit, quam longa et gravis, sed oscitanter et cum taedio persoluta. Poenitentia publica (vindicativa nempe) ob delictum etiam publicum nemini injungi debet, nisi ab Episcopo, aut cum ejus consensu. In gravioribus delictis ad acuendum fervorem poenitentis juvat ipsi proponere rigorem poenitentiae similibus peccatis olim per canones dictatae. Ergo saltem eam, quae injuncta est, majori cum humilitate et devotione exequatur etc.*" Man. Brixin. 1827. pag. 41. et seq. Vid. ibid. pag. 270. et seq., ubi juxta consuetam partitionem bonorum operum in orationem, jejunium et eleemosynam sat multa poenitentiarum exempla enumerantur.

4. Quodsi poenitens satisfactionem sibi injunctam in aliam mutari cupiat, id ipse propria auctoritate nequaquam

potest, sed aliud non restat, nisi ut vel eundem, vel alium ejusdem tamen potestatis confessarium adeat, qui ex justa causa faciet, quod saluti poenitentis magis expedire videbitur.

5. Generatim poenitentibus, praecipue qui criminum graviorum reos se fecerunt, sedulo inculcetur, ne facta confessione, et persoluta satisfactione per Confessarium dictata, rem omnem confectam arbitrentur. Potius per omnem suam vitam sensum poenitentiae fovere atque servare studeant; quem in finem praeprimis christianae sui ipsius abnegationi incumbant; quantum fieri potest, a commoditatibus voluptatibusque etiam licitis abstinentes, atque ea, quae in illas impendissent, in eleemosynas vel in opera pietatis ac misericordiae convertant; officia sua, licet ardua et difficilia, promte exequantur; adversitates, praesertim propria sua culpa adductas animo poenitenti acceptent; sacris, praeprimis sacrificio Missae frequenter intersint etc. Demum etiam concessas ab Ecclesia *indulgentias* lucrari studeant.

## §. 601.

### De indulgentiis.

1. *Indulgentia* est remissio poenae temporalis post culpam jam remissam adhuc persolvendae, ex thesauro Ecclesiae, auctoritate clavium et sub certis conditionibus facta. Tridentinum eos anathemate damnat, qui indulgentias aut inutiles esse asserunt, vel Ecclesiae eas concedendi potestatem negant. In his tamen concedendis moderationem juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur. Sess. XXV. Ex natura sua indulgentiae sunt quidem relaxationes earum poenarum, quae in sacro tribunali poenitentibus vel injunctae sunt, vel certe de jure

injungendae fuissent. Attamen merito adstruimus, poenas, quae vi clavium in terra remittuntur, etiam coram DEO remissum iri, ut proinde indulgentiae poenas temporales non solum hujus, sed etiam futurae vitae deleant. Ita cum S. Thoma theologi prae reliquis insignes sentiunt. Cf. Liebermann Tom. IV. P. II.

2. Quamvis porro disciplina Ecclesiae circa concedendas indulgentias varia exstiterit, ejusdem tamen mens et intentio semper eadem fuit, ut scilicet per merita Christi et Sanctorum cum ipso regnantium humanae infirmitati succurreret. Unde benignissima mater primis temporibus iis praecipue poenitentibus poenas residuas indulgere consueverat, qui vel eximium poenitentiae fervorem ostendebant, vel in arctis rerum circumstantiis versabantur, e. g. imminente gravi persecutione. Mutata vero temporum indole *Ecclesia* hanc suam solicitudinem eo potissimum convertit, ut fideles ad detestanda peccata sua, ad usum Sacramentorum, atque ad pia opera propositis indulgentiis efficacius incitarentur. Idquod ex conditionibus, quae ad obtinendas indulgentias requiruntur, facile perspicitur.

3. Hae conditiones sunt:

*a)* *Status gratiae*, saltem ut ex bonis operibus ab Ecclesia praescriptis *ultimum* in statu divinae amicitiae exerceatur; poena enim non tollitur, nisi culpa sublata fuerit. Ex eadem ratione, ut quis indulgentiam plenariam *ex integro* lucretur, seria detestatio omnium prorsus etiam levium culparum requiritur; alias enim nonnisi fructus dispositioni et capacitati tuae proportionatos reportabis.

*b)* Reliquae conditiones ex tenore literarum, quibus indulgentiae conceduntur, desumendae sunt; et plerumque quidem *confessio et Communio* praescribitur; attamen vi constitutionis Clem. XIII. unica per hebdo-

madam confessio sufficit ad impetrandas omnes indulgentias, quae eadem hebdomada recurrunt, si scilicet reliquae conditiones servantur, et status gratiae per hoc tempus interruptus non fuerit.

*c)* Insuper injungi solent pia quaedam opera, visitatio certarum ecclesiarum, preces ad intentionem Summi Pontificis fundendae etc. Ast nimium petunt, ex quorum sententia ad indulgentias lucrandas requiritur, ut poenitens summam quoque solicitudinem adhibeat divinae justitiae actibus propriis satisfaciendi. Hunc poenitentiae fervorem Ecclesia optat quidem, atque, ut Bellarminus scribit, prudentes Christiani pontificias indulgentias sic accipiunt, ut simul etiam studeant dignos poenitentiae fructus ferre, ac pro suis peccatis Domino satisfacere; attamen ipse Bened. XIV. testatur, *nullum se diploma pontificium pro indulgentiis unquam vidisse, in quo ea singularis conditio proferatur.*

4. Quis ergo Ecclesiae non impensissimas gratias rependat, quod coelestes thesauros tam largiter in nos dispensare, nobisque, qui in multis offendimus omnes, tot subsidia suggerere voluerit, quibus tum in hac vita poenas promeritas diluere, tum etiam post obitum nostrum sublevari possimus? Hinc et ipsimet indulgentias in nostrum aeque ac defunctorum solatium concessas pie aveamus, et simul populum nobis subjectum saepius hortemur, qua ratione coelestes hasce divitias unisquisque sibi comparare queat.

## §. 602.

### De frequenti usu poenitentiae.

1. Jam alibi exposui, quanta sit utilitas sacrae confessionis, praesertim siquis virum probum atque pruden-

tem in *confessarium stabilem* sibi elegerit, eumque ex brevi intervallo justa cum docilitate frequentet. §. 141. Praeterea sacramentalis absolutio non est *mera declaratio,* peccata a DEO esse remissa, sed est *actus judicialis,* quo a sacerdote, DEI ipsius vices agente, velut a judice sententia fertur. Trid. Sess. XIV. can. 9. Ejusdem effectus sunt:

*a)* Remissio peccatorum gravium quoad culpam, et poenam aeternam, siquidem praeter debitam contritionem peccata isthaec rite exposita fuerint; imo indirecte etiam illa remittuntur, quae quis citra suam culpam confiteri omiserat;

*b)* restitutio gratiae sanctificantis, qua non tantum facultas tribuitur edendi opera meritoria de condigno, sed etiam opera *mortificata* denuo resuscitantur.

*c)* Acquiritur jus ad obtinendas gratias actuales, quarum ope in accepta justitia perseveremus.

*d)* Insuper tranquillitas conscientiae et pax animi, quae exsuperat omnem sensum, conferri solet.

*e)* Si autem peccata solum venialia, vel etiam gravia, sed jam directe remissa exponuntur, Sacramentum poenitentiae praeter illorum remissionem in gratia divina nos confirmat, atque illius augmentum operatur, imo pro contritionis fervore poenas etiam temporales exstinguit.

2. Quare freqnens hujus Sacramenti usus summopere commendari meretur, utpote quo fideles non tantum post lapsum cum DEO reconciliantur, sed etiam contra lapsus imminentes efficacissime praemuniri solent. Equidem juxta ordinariam providentiam in praesentem hominis fragilitatem non cadit, ut ab omni prorsus noxa etiam veniali immunis perseveret; attamen per frequentem et piam simul confessionem eo saltem eluctabimur, ut aucto renovatoque

identidem studio nobis invigilemus, et ut labes contractae mox iterum detergantur. Jam ipsa peccatorum expositio et salutaris tristitia pravas affectiones debilitat, mentemque magis providam reddit. Accedunt monita, consilia et hortamenta confessarii; et praesertim *gratia divina*, cujus nova semper augmenta recipimus, contra omnes hostium insidias invictum nobis robur suppeditat. Rectissime etiam huc verba Redemtoris applicamus: „*Qui se humiliat, exaltabitur.*“ Scilicet „*si confiteamur peccata nostra, fidelis est DEUS et justus, ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate.*“ I. Joann. 1, 9. Notissima est similitudo a conclavi desumta. Etiamsi sordes graviores fors arceantur, quantum tamen pulveris illius parietibus, scriniis atque picturis non tantum adspergi, sed etiam insidere ac adhaerescere consuevit, si haec omnia nonnisi rarissime mundantur! Quam vero diversa rerum facies, si omnis immunditics mox iterum abstergitur!

3. Hinc S. Franc. Sal. animae ad majorem perfectionem contendenti paterne consulit: „*Humiliter et devote omni hebdomada confitere, et si fieri potest, quoties ad S. Communionem accedis, etiamsi nullum peccati alicujus gravis remorsum sentias. Etenim per confessionem non solum peccatorum venialium remissionem, sed etiam incredibile robur eadem in posterum evitandi recipies, nec non et ingens eadem rite discernendi lumen, ac abundantem gratiam ad omnem jacturam, quam tibi intulerant, reparandam. Insuper virtutem humilitatis, obedientiae, candoris, imo in hoc solo confessionis actu plures, quam in quocunque alio, virtutes exercebis.*“ Simul tamen S. praesul instat, ut haec confessio semper cum vera peccatorum displicentia, et firmo emendationis

proposito, distincte, et pia cum simplicitate instituatur etc. Philoth. P. II. c. 19.

Constit. nostrae synodales pariter mandant, ut parochi, curati et concionatores „*verbo et exemplo suos ad crebrum Sacramentorum usum, praesertim in solemnioribus anni festis privatim et publice invitent; confessarii autem mature in confessionali se sistant, decentius poenitentes exspectaturi, quam exspectandi ab ipsis.*" Tit. 5. n. 7. Sacerdotibus speciatim praecipitur, ut „*saltem bis in mense sacramentaliter confiteantur; extraordinarie, quoties alias in peccato mortali celebraturi essent.*" Ibid. tit. 10. n. 2.

## Caput V.

### *De reliquis Sacramentis.*

### §. 603.

De Sacramento extremae unctionis.

1. Juxta Trident. „*Sacramentum hoc delicta, siquae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit; aegroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, et morbi incommoda ac labores levius fert; et tentationibus daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animae expedierit, consequitur.*" Sess. XIV. cap. 2. Quapropter potissimi effectus ejusdem sunt: Confirmatio et augmentum gratiae sanctificantis; remissio peccatorum venialium, imo etiam gravium, siqua ex inculpabili errore, aut impotentia physica infirmi per potestatem clavium nondum deleta essent; pro fervore poenitentiae ac devotionis etiam remissio poenarum temporalium, gratiae actuales tum ad perferenda morbi incommoda, tum ad superandas tentationes, illas praecipue, quae infirmis et agonizantibus

imminent; mentis alacritas, imo, si expedierit, etiam recuperatio sanitatis. Demum prout Ss. viaticum, ita etiam S. unctio est aliqua contestatio religionis nostrae.

2. Quare dum graviter infirmamur, hoc quoque subsidio nos praemunire studeamus; idque sat mature fiat, dum scilicet adhuc integra nobis mens et ratio viget. Etiamsi enim Sacramenta ex opere operato effectus suos producant, plurimum tamen interest, quae sit dispositio nostra. Absit ergo stulta quorundam timiditas, qui hoc Sacramentum tamquam certum secuturae mortis nuntium habent, et idcirco illud ad extremos quasi halitus differunt.

3. Ut vero gratiam eo uberiorem obtineamus, praeter conscientiae puritatem sequentes potissimum actus eliciendi erunt: Firma fides et fiducia, qua divino Mediatori innitamur; sincera contritio de peccatis nostris; plena resignatio in voluntatem divinam; et pia oblatio, qua dolores et cruciatus nostros, imo quidquid per totam vitam vel boni egimus, vel mali perpessi sumus, et vitam ipsam una cum meritis Christi DEO consecremus. Ex quibus facile perspicitur, quae nobis sacerdotibus incumbant, dum Sacramentum hocce aliis ministramus.

## §. 604.

### De Sacramento ordinis.

1. Sacrificium et sacerdotium ita DEI ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. Cum igitur Dominus in novo Test. visibile sacrificium Ss. Eucharistiae instituerit, fateri oportet, in eo veri quoque nominis sacerdotium inveniri. Revera tam ex Ecclesiae catholicae traditione, quam ex sacris literis abunde constat, tale sacerdotium a Christo institutum esse, quippe qui in Apostolos eorumque in sacerdotio successores disertis verbis potestatem transtulit consecrandi, offerendi ministrandique

corpus et sanguinem ejus, nec non dimittendi retinendive peccata. Cumque Scripturae testimonio, apostolica traditione et unanimi consensu Ss. Patrum perspicuum sit, per sacram ordinationem, quae verbis et signis exterioribus perficitur, *gratiam* conferri; dubitari nequit, ordinem esse vere et proprie unum ex septem S. Ecclesiae Sacramentis. Quia vero ministerium sacerdotii res prorsus divina est; consentaneum fuit, ut ad illud majori cum veneratione exercendum plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Vid. Trid. Sess. XXIII. cap. 1. et seq.

2. Ne illa huc transferam, quae tum in Theologia dogmatica, tum in jure sacro de hoc Sacramento pertractantur; nonnisi pauca iterum monita annecto, quae proxime Ascesim attinent. Inprimis igitur neminem, qui rem serio expenderit, latere potest, quanta sacerdotibus novae legis reverentia debeatur, utpote quibus tam stupenda a Christo potestas concessa fuit, quique ipsius in terris vices agunt. Quid magis admirandum, quam dum ad vocem sacerdotis panis et vinum in verum Christi corpus et sanguinem convertuntur, dumque sacerdos peccata dimittit? Ast non minori studio supplices continuatasque preces ad Dominum fundamus, *ut mittat operarios in messem suam.* Quis porro illis non intime commisereatur, qui, etiamsi christiano nomine censentur, sunt tamen sicut oves non habentes pastorem, *populus sine sacerdote*, *sine sacrificio?*

3. Pari modo perspicitur, qua ratione illos, qui ad sacerdotium adspirant, ad tantum munus accedere oporteat. Praeter ea, quae sacri canones de ordinandorum qualitatibus statuunt, quanta tum vitae tum intentionis puritas requiritur, ne et nos dira illa exprobratio feriat: *Amice,*

*quomodo huc intrasti?* Unde prout necessariam scientiam, ita condignam quoque conversandi rationem morumque integritatem sibi comparare studeat, quisquis sacerrimum hoc limen ingredi meditatur. Scilicet „*firmum fundamentum DEI stat, habens signaculum hoc; cognovit Dominus, qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis, qui nominat nomen Domini. . . . . Siquis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum, et utile Domino ad omne opus bonum paratum.*" II. Tim. 2, 19. et seq. Quid vero, siquis se non emundaverit? Tum sane „*qui ceciderit super lapidem istum, confringetur; super quem vero ceciderit, conteret eum.*" Matth. 21, 44. Quae quidem ideo tantum non ulterius exponenda censeo, quia sacrorum ordinum candidatis jam alias data quavis occasione inculcantur.

4. Nos denique, qui sacris jam initiati sumus, gratiam DEI, quae est in nobis per impositionem manuum, saepissime resuscitare, et semper memores esse jubemur, quis sit spiritus sacerdotii, scilicet „*spiritus virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.*" II. Tim. 1, 7. Cf. Trid. Sess. XXII. cap. 1. de ref. et Sess. XXV. cap. 1. de ref. Pro nostra dioec. serio expendantur decreta synodalia anno 1767 innovata et reimpressa, prout et pulcherrima monita, quae in manuali nostro recens edito — de Sacram. ordinis — occurrunt.

## §. 605.

### De Sacramento matrimonii.

1. *Matrimonium* novae legis Sacramentis annumerandum esse, Ss. Patres, concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt. Trid. Sess. XXIV. Ejusdem effectus sunt: *a)* Confirmatio et augmentum gratiae sanctificantis; *b)* gratiae actuales, quibus adjuti conjuges tum

officia sua fideliter exequantur, tum vero onera huic statui propria facilius perferant. Ne alibi dicta repetam, solummodo de illorum, qui hoc Sacramentum suscepturi sunt, dispositione quaedam addo.

2. *Praeparatio remotior* est, ut juvenes nupturientes religionis et officiorum suorum sufficientem sibi notitiam comparare, atque mores suos ad normam honestatis componere satagant. Unde animarum pastores admodum solicitos esse oportet, ut juventutem in doctrina christiana rite informent, nihilque intentatum relinquant, quo aetatem tam lubricam a corruptione tueri possint. Hoc suo studio non iis tantum proderunt, quibus solicitudo ista proxime impenditur, sed toti quoque tam sacrae quam profanae reipublicae. Qualis enim nunc juventus fuerit, tales post aliquot annos patres matresque ac antistites familiarum erunt. Praesertim, ut denuo manuale nostrum habet, inculcet pastor juvenibus, ne praemature in animum admittant cogitationem nuptiarum; sed curam hanc et electionem sponsae differant ad id usque tempus, quod non multum distat ab actuali constitutione matrimonii. Ne meditentur matrimonium, si non habent solidam spem, fore, ut familiam possint alere, quin cogatur proles mendicare. Ne augeant numerum eorum, qui futurum matrimonium praetexentes, concupiscentia abrepti ea perpetrarunt, quibus sibi praecluserunt benedictionem divinam in ipso matrimonio etc. Pueliae autem graviter admonendae sunt, ut se, quantum ad hoc negotium, secundum exemplum Sanctarum veteris et novi Test. fere committant dispositioni parentum, aut probi curatoris; omnem propositionem ratione contrahendi matrimonii ab alio factam mox ad parentes ablegent; clancularium amasium longe repellant; inter procos ne leviter volitent; munuscula, imo et conversationem eorum procul fugiant; illum vero, qui indecens quidpiam ab ipsis petere

aut praetextu amoris perpetrare ausus fuerit, tamquam pestem aversentur, juste timentes, ne jugum matrimonii, si cum tali homine portandum sit, ex multis causis nimium quantum grave fiat.

3. Quodsi honesti conjugii opportunitas datur, et nihil eorum deest, quae ad hunc statum valide et licite ineundum requiruntur, praeter alia pietatis exercitia et necessarias cautelas Tridentinum sponsos hortatur, ne ante benedictionem sacerdotalem in eadem domo cohabitent, et demum ut, antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, et ad S. Eucharistiae Sacramentum pie accedant. Sess. XXIV. cap. 1. Idipsum nostris in locis decreta etiam dioecesana urgent. Vid. constit. synod. tit. 8.

# SECTIO III.

## DE IPSO CONFLICTU CUM HOSTIBUS.

### §. 606.

Transitio.

1. Ad exemplum clarissimorum virorum, qui Ascesim pertractarunt, vitam hominis super terram tamquam *militiam* considerare placuit, ubi non intermissae pugnae instant, et identidem pro anima res est. §. 514. Postquam igitur hucusque tum praevias conditiones, quae ad feliciter decertandum requiruntur, tum necessaria subsidia exposui; restat, ut adhuc de ipso cum hostibus conflictu breviter disseram. Cf. *Certamen spirituale* Ven. Laur. Scupuli.

2. Quamvis vero haec feliciter pugnandi ars amplissimae extensionis sit, eam tamen paucis complecti volui; totum negotium ad sequentia capita reducens: *a)* Qua mentis dispositione hostiles incursus operiri; *b)* qua ratione illis resistere, et *c)* quid demum post singulas, graviores saltem pugnas agere debeamus.

## Caput I.

### *De dispositione mentis hostem operientis.*

### §. 607.

De perpetua decertandi necessitate.

1. Ne hostis fors ex improviso nos adoriatur, pro certo habeamus, nullam in hac vita pacem, imo nec indu-

cias dari. Praesertim hostis infernalis ab illis lacessendis nunquam desistit, quos christianae virtuti sincere addictos experitur. Prout usurpator terrestris non subditis, sibique per omnia obsequentibus, sed illis bellum infert, qui ejusdem jugum aspernantur, ita et princeps tenebrarum. Quam quidem comparationem jam S. Greg. M. instituit, scribens de satana: „*Eos pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit. Circa nos vero eo vehementius incitatur, quo ex corde nostro, quasi ex jure propriae habitationis expellitur.*“ Mor. l. 24. c. 7. Hinc quoque Eccli. 2, 1. dicitur: *Fili, accedens ad servitutem DEI, sta in justitia, et praepara animam tuam ad tentationem.*“

2. Revera omnes, qui studio perfectionis se dederunt, multis molestisque tentationibus exagitatos fuisse legimus, atque, ut S. Chrys. affirmat, „*nullus unquam ex his, qui DEO maxime chari et acceptabiles fuerunt, sine pressuris vixit, etiamsi non ita nobis videatur.*“ De Prov. l. 1. Ut de aliis taceam, quis non meminit magni Apostoli, qui etiamsi ardentissimo DEI amore flagraret, gravissimas tamen pugnas experiebatur? Absit ergo, ut homines pietati studentes animo cadant, dum impiis, immundis nefandisque cogitationibus et aculeis divexantur; potius hoc ipso DEO sese charos esse confidant, quia hostis tartareus tot tantosque impetus in illos movet.

3. Neque ex parte DEI sapientissimi fines desunt, ad quos mentes sibi addictas taliter exerceri permittat. Inprimis enim tentationes praeclaram nobis occasionem praebent, qua virtutem nostram singulariter testatam faciamus. „*Ut gubernatorem navis tempestas, athletam stadium, militem acies, magnanimum calamitas, sic christianum hominem tentatio probat,*“ S. Basil. orat. 11. de Pat. Imo per ipsam tentationum vim virtus nostra profundiores radices agit. Sicut arbores eo profundius radicantur, quo

magis ventis agitantur et tempestatibus, ita et virtus nostra *„in infirmitate perficitur.“* II. Cor. 12, 9. Praesertim exinde carnis nostrae fragilitatem, atque nihilum nostrum experimur, sicque humiles conservamur, prout Apostolus diserte inquit: *„Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae, Angelus satanae, qui me colaphizet.“* II. Cor. 12, 7. Prout scilicet gubernator navis ejusdem carinam saburra replet, ne nimia levitate mari innatans scopulis illidatur; ita et DEUS nos pondere tentationum demissos tenet, ne de nobismet ipsis praesumentes evanescamus in cogitationibus nostris. *„Mira hoc nobiscum dispensatione agitur, ut mens nostra culpae nonnunquam pulsatione feriatur; nam esse se magnarum virium homo crederet, si nullum unquam earundem defectum intra mentis arcana sentiret. Sed cum tentatione irruente quatitur, et quasi ultra, quam sufficit, fatigatur, ei contra hostis sui insidias munimen humilitatis ostenditur; et unde pertimescit se enerviter cadere, inde incipit fortiter stare.“* S. Greg. Mor. l. 2. c. 27. His accedit cumulus meritorum, quae vincenti praeparantur. *„Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legitime certaverit.“* II. Tim. 2, 5. Cf. Jac. 1, 12. Unde S. Ambr.: *„Non timeamus tentationes, sed magis gloriemur in tentationibus dicentes: Quando infirmamur, tunc potentes sumus; tunc enim nectitur corona justitiae. Si quando tentaris, cognosce, quia paratur corona.“* In Luc. l. 4. c. 4.

Praesertim illis horrendae tenebrae et pugnae sustinendae sunt, qui ad altiorem contemplationem vocantur. De his tamen infra. Saepenumero DEUS etiam eos aliquamdiu gravissime tentari permittit, quos aliorum duces et directores elegit, ut scilicet tentatis compati, eorumque miseriis aptius mederi discant. *„Qui non est tentatus, quid scit?“* Eccli.

34, 9. Ipse Apostolorum princeps, ut aliquando conversus fratres suos confirmaret, in semet ipso humanam infirmitatem experiri debuit.

## §. 608.

### De necessaria resistendi alacritate.

1. Ut igitur sapientissimo DEI consilio respondeamus, absit quidem omnis temeritas, ne scilicet tentationibus ultro nos ingeramus. §. 130. Potius, ut vir praeclarus inquit, quantum possumus, a lubrico recedamus, utpote qui etiam in sicco parum firmiter subsistimus. Attamen ubi in exequendo nostro munere, vel qua demum cunque occasione nobis invitis tentationes surgunt, utcunque horrendae illae sint, animum nullatenus despondere, vel nos a DEO quasi derelictos autumare licet. „*Ne existimemus esse signum, quod nos dereliquerit vel despiciat Dominus, si tentationes nobis inferantur; sed hoc maximum sit nobis indicium, quod DEUS nostri curam gerat.*“ S. Chrys. hom. 33. in Gen.

2. Huc igitur ea praeprimis spectant, quae §. 515. et seq. super humili de se ipso diffidentia, atque de invicta fiducia erga DEUM dixi. Quapropter absque omni mentis perturbatione, sed animo tranquillo agnosce ingentem tuam miseriam, recognosce abyssum, in quam, nisi Dominus manum suam supponeret, mox praeceps ruiturus esses, humilia te coram ipso ex toto corde; ast simul ejusdem auxilium implora, ipsique fiducia insuperabili innitere. Ipse namque est protector omnium sperantium in se, neque ulla unquam confusio timenda est, dum in illum confidimus. Dan. 3, 40. „*Faciet etiam cum tentatione proventum,*“ ut possimus sustinere. I. Cor. 10, 13. Neque hosti major vis competit, ac DEUS ad nos salubriter exercendos illi concesserit.

3. Hac igitur in DEUM fiducia fretus omnes adversariorum cuneos, intrepidus perfringe, dicens cum Propheta: „*In Domino sperans non infirmabor. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exsurgat adversum me proelium, in hoc ego sperabo.*“ Ps. 25. et 26. Conf. de imit. l. 1. c. 13. Imo gaude de oblata tibi occasione, qua tum DEO tuam contestari fidem, tum novum tibi proemium mereri possis, quippe qui DEUM praesentem habes non solum pronum ad auxilium, sed etiam paratum ad coronandum. „*Quando tentaris, cognosce, quia paratur corona.*“

§. 609.

Regulae practiçae.

1. Rarum non est, ut piae animae diris tentationibus exagitentur, dum vel vehementes stimulos libidinis persentiscunt, vel tristitia, diffidentia, dubiis circa fidem, spiritu blasphemiae aliisque hostis maligni suggestionibus vix non ad desperationem adiguntur. Hisce igitur spiritualis director pium semper et benignum se exhibeat. „*Cum tentato noli duriter agere, sed consolationem ingere, sicut tibi optares fieri.*“ De imit. Quare patienter et paterno affectu tales audire, illosque omni modo ad firmissimam in DEUM fiduciam erigere decet; utcunque horrenda sint, quae patiuntur, ab omni tamen admirationis timiditatisve signo abstine, sed fiducialiter illis responde, talia, imo multo adhuc graviora ipsis Sanctis obtigisse, e. g. S. Catharinae Sen., B. Angelae de Fulg. etc., nec esse, quod exinde sibi timeant.

2. Si tamen confessarius advertat, ejusmodi tentetiones poenitenti ex propria ejusdem temeritate accidere, eoquod e. g. vel sensus exteriores vel phantasiam justo minus coërceat, periculosas familiaritates foveat, vel mane

justo diutius lectulo immoretur; tum utique serio instabit, ut hi fontes obstruantur. Praeterquam enim quod tales periculo consentiendi valde immineant, iisdem jam sensus ipse, utpote in causa voluntarius, aliquatenus imputandus venit.

3. Insuper in dirigendis personis piis multa perspicacia requiritur, ne fors sub ipsius specie virtutis periclitentur, satana in Angelum lucis se transformante, qui juxta sententiam S. Aug. magis timendus est, cum fallit, quam dum saevit. Hae scilicet daemonis technae sunt, ut illis, qui a turpibus abhorrent, per actus ceteroquin laudabiles imponat, quibus dum adhaerescunt, sensim sine sensu ad periculosa deducuntur. Ejusmodi sunt e. g. incauta familiaritas cum personis alterius sexus, forsitan sub obtentu gratitudinis, singularis pietatis, vel majoris perfectionis gratia. Ast pedetentim affectus animalis se insinuat, et quae in spiritu coepta fuerant, in carne consummantur. Si unquam, certe in hac causa, *vestigia terrent.*

## Caput II.

*De ratione tentationibus resistendi.*

### §. 610.

**Regulae generales.**

1. Dum igitur tentatione aliqua pulsamur, primum est, ut mox ab initio illi resistamus. Unde quidam dixit: „*Principiis obsta, sero medicina paratur. Cum mala per longas invaluere moras. Nam primo occurrit menti simplex cogitatio; deinde fortis imaginatio; postea delectatio (id est, complacentia) et motus pravus et assensio, sicque paulatim ingreditur*

*hostis malignus ex toto, dum illi non resistitur in principio.*" De imit. l. 1. c. 13. Prout ergo scintillas, quae in vestimentum tuum delabuntur, mox excutis, ita etiam te gerito, dum tentaris. „*Dum parvus est hostis, interfice. Nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.*" S. Hier. Hunc in finem merito commendant, ut tentatus per preces ferventes, vel pium aliquod suspirium animum sursum vertere festinet. „*Quemadmodum parvuli perterrefacti statim confugiunt ad sinum matris; sic nos, cum aliqua tentatione pulsamur, per preces confugiamus ad DEUM.*" S. Cypr. l. de Prov. c. 3.

2. Si tentatio nihilominus instare pergat, attamen valde vehemens aut periculosa non sit, recte consulunt, ut directe illi resistere, nosque ad virtutem eidem oppositam urgere conemur; e. g. dum quis contra proximum aliquid rancoris persentiscit. Attamen in magno tentationis aestu magis expedit, ut DEO firmiter innixi, et cum simplici de peccato displicentia negotia nostra intrepide prosequamur. „*Noli cum adversario tuo verbis contendere, imo nullo illum verbo dignare, praeterquam illis Salvatoris: Vade Satana; scriptum est: Dominum DEUM tuum adorabis, et illi soli servies.*" S. Franc. Sal. Quapropter mentem alio divertere, atque animo imperturbato stadio suo inhaerere convenit. Inimicus, utpote superbus adeo, nunquam magis confunditur, quam dum se contemtum videt. Contra timor et anxietas tentationis vim plurimum augent. Hinc animabus graviter tentatis omnis eximatur timiditas; dicatur illis, nihil ipsis formidandum esse, utpote sub ipsius DEI praesidio constitutis, adeoque inter quascunque tempestates bene coeptis insistant; eodem fere modo, quo, si vel canis illos allatraret, vel homo phreneticus eorum auribus impia dicta obtruderet, viam suam prosecuturi essent.

Praesertim hic tentationum contemtus illis inculcari, imo et praecipi debet, qui vel scrupulis, vel certe aestuante phantasia laborant; dum e. g. conqueruntur, se ad conspectum sacrarum imaginum in persolvendis precibus aliisque pietatis exercitiis ad cogitationes spurcas, blasphemas etc. impelli; tamdiu urgendi sunt, ne spectra isthaec pertimescant, donec eorundem phantasia refrigerata fuerit.

3. Generale porro et efficacissimum contra omnes tentationes medium est, ut omnes suggestiones, sensus et affectus patri spirituali sincere exponantur. §. 520. Nam, ut denuo S. Franc. Sal. inquit, prima cacodaemonis cura est, ut anima, cui insidiatur, suggestiones suas sileat, neminemque earum conscium faciat, ad exemplum illorum, qui alienam uxorem vel virginem seducturi praeprimis cavent, ne vel maritus vel parentes impium hoc consilium resciant. Quodsi ergo inimicus se detectum viderit, cum ingenti sua confusione mox fugam arripiet. Idquod per experientiam abunde confirmatur, qua teste tentationes etiam vehementissimae statim, ut directori detectae fuerunt, infringi consueverunt.

4. Et haec quidem non de iis tantum tentationibus obtinent, quibus ad peccata gravia allicimur, sed suo modo etiam de illis, quae, quo minoris momenti videntur, eo frequentius recurrunt. „*Lupi et ursi absque dubio periculosiores sunt, quam muscae; hae tamen prae illis importunae nobisque molestae fiunt. Facile est ab homicidio sibi cavere; ast difficile, ut quis sibi ab omni quoque iracundia temperet, cui tot per diem ansae praebentur. Ita etiam homini ingenuo adeo grave non est se cohibere a violando alieno toro, a rapina, a falso testimonio, ab ebrietate etc., sed difficillimum, ut omnem inordinatum affectum, quodvis mendacium, et quidquid sobrietati adversatur, declinet. Itaque parvae hae ten-*

*tationes ad iracundiam, ad zelotypiam, ad invidiam, ad nugacitatem, ad simulationem etc. homines etiam probissimos continuo exercent; et exinde nos ad ejusmodi pugnas summa cum diligentia praeparare debemus, firmiter persuasi, quot de minoribus hisce inimicis victorias retulerimus, tot quoque coronae nostrae coelesti margaritas et gemmas addendas esse.*" Ita non quidem verbotenus, sed quoad substantiam S. Franc. Sal. Philoth. P. IV. c. 8.

## §. 611.

### Monita specialia.

1. Pro diverso certandi genere quasdam adhuc regulas speciales subjicio. Scilicet multum interest, cujusmodi tentatio sit, qua impetimur; aliquando enim certa objecta indignationem nobis et nauseam creant; aliquando autem suaviter sensus nostros titillant et attrahunt. Prioris generis sunt: Impatientia, ira, antipathia, taedium, invidia etc. Dum ergo sensu adverso et acerbato affligeris, objectum, quod tibi adversatur, non declinare, sed potius eidem obviam procedere, illique approximare juvat. Homines e. g. inter se discordes eo sibi infensiores evadunt, quo magis alter alterius conspectum fugit; dum vero pars una alteram adit, plerumque facile reconciliantur.

Haec tamen regula exceptionem patitur, ubi ex injuria recens accepta affectus valde intumuit, quo saeviente timendum foret, ne mentes magis adhuc excandescant. Tum etenim animus alio diverti, et tamdiu exspectari debet, donec tempestas cessaverit, seu ut antiquorum aliquis ait, *ollam ebullientem ab igne retrahe, usque dum resederit.*

2. Attamen ut stimulum recalcitrantem rationi penitus subjugemus, nondum sufficit illum semel repressisse; potius illum dato studio denuo provocare, tumque iterato retun-

dere expedit, dum scilicet varias molestias et acerbitates nobis imaginamur, et jam firmiter decernimus, quid in ejusmodi circumstantiis opitulante divina gratia acturi simus. Atque hoc animi decretum data quavis occasione per exercitium virtutis naturali stimulo oppositae sedulo comprobare studeamus, ut nulla dies absque novis victoriis transeat. Ven. Scupuli hanc certandi methodum pulcherrime explanat exemplo a patientia desumto. Cert. spirit. c. 13.

3. Etiamsi voluntas tua interdum pene inermis vel plane devicta videatur, tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Quamdiu pugnare pergis, nunquam devictus eris, et qualiscunque ab hoste impetus fiat, voluntas tua per divinam gratiam suffulta nequaquam superari potest. Quodsi fors inimicus ex improviso magna vi in te irruat, primo statim impetu saltem oretenus protestare, vel adinstar pugnantis gradum nonnihil retrahe, vel prout paulo ante annotavi, *ollam nonnihil ab igne remove;* cogita DEUM praesentem, ut vincentem coronet, Christum crucifixum, vel aliam gravem veritatem, tumque tui plene compos redditus certamen tuum instaura.

4. Quod speciatim *acediam* concernit, ad eam feliciter debellandam generatim assuesce, ut, quidquid tibi vel per conscientiam, vel a superioribus praecipitur, mox et cum alacritate peragas; saepius reminiscere, quam breve et pretiosum sit tempus, quod tibi ad promerendam felicem aeternitatem conceditur; quam stultum foret tum demum lampadem parare, ubi sponsus jamjam instat: quam arcte in regno gratiae omnia sibi cohaereant, ut, qui unam neglexerit, hoc ipso multis aliis careat; quam largiter DEUS unumquodque opus bonum remuneraturus sit etc. Neque anxie praemediteris, quamdiu fors in stadio, quod tibi molestum accidit, perseverare debeas; sed ita unumquem-

que diem auspicare, ac si hodie adhuc omnis molestia terminanda foret etc.

## §. 612.

### Continuatio.

1. Dum natura nostra a molestiis atque adversitatibus refugit, contra hunc hostem plerumque non solum defensive, sed, prout paulo ante dixi, etiam offensive progredi oportet, ut nos directe et iterato contra impetus adversos urgeamus. Ast pugna multum diversa requiritur, ubi natura animalis voluptatum illecebris vehementer attrahitur. Tum enim non ad blanda ejusmodi lenocinia accedere, sed potius ab illis nos proripere, et quantum possumus, ab iis nos removere conemur. Praesertim de tentatione ad libidinem id obtinet. Qui amat periculum, peribit in illo. Haec quippe concupiscentia „*ignis est usque ad consummationem devorans, et omnia eradicans genimina.*" Job 31, 12. Hinc omnes cum S. Aug. sentiunt: „*Si vis invenire victoriam, apprehende fugam.*"

Qua sollicitudine speciatim personae DEO sacratae incautas familiaritates declinare debeant, ex iis perspicitur, quae S. Theresia in vita sua c. 32. de semet ipsa refert. Easdem cauteias Ss. Patres, praecipue S. Basil., S. Aug., S. Hier. etc. commendant. „*Quamvis,*" ut S. Bonav. scribit, „*harum familiaritatum principium videatur purum, frequens tamen spiritualitas est malum occultum bono colore depictum.*"

2. Quamvis vero de subsidiis contra hasce tentationes jam saepius dixerim, juvat tamen quaedam adhuc monita huc transferre. Igitur praeter fugam occasionum et illiciorum inprimis profunda humilitate et omnimoda de semet ipso diffidentia opus est. Quo inter alia spectat, ne de aliis temere judices, neque illos, quos lapsos fuisse nove-

ris, contemnas. *„Si videres alium aperte peccare, vel aliqua gravia perpetrare, non deberes te tamen meliorem aestimare; quia nescis, quamdiu possis in bono stare. Omnes fragiles sumus; sed tu neminem fragiliorem te ipso tenebis.“* De imit. l. 1. c. 2. Cave igitur, ne tibi ipse placeas de quibuscunque tuis dotibus, sive naturales illae sint, sive supernaturales. Sed infirmitatem tuam sincere agnoscens identidem ad DEUM recurre, *qui solus potens est statuere servum suum.* Rom. 14, 4.

3. In ipsa tentatione noli cum inimico multum altercari, sed mentem ad DEUM erige, suspirans ad divinum Redemtorem: *„Salva nos, Domine, perimus!“* Implora B. V., Sanctos, animum vel gravi aliqua veritate, vel etiam negotio occupatum tene, quod tuam attentionem sibi vindicet etc. Quodsi inter ipsam orationem vel meditationem talibus lacessaris, hoste contemto pensum tuum intrepide persolve. Neque suadendum est, ut tempore tentationis turpitudinem vel sequelas luxuriae perpendas; id enim periculum augeret potius, quam imminueret. Omnium minime post tentationem solicite rumineris, utrum in illam consenseris, prout mox dicetur. Vid. Cert. spirit. c. 19.

## Caput III.

### *De agendis post pugnas graviores.*

### §. 613.

#### Monita generalia.

1. Equidem omni die statum nostrum internum explorare decet, prout §.§. 529. et seq. de quotidiano conscientiae examine ostensum fuit. Absit tamen circa consensum tentationibus praestitum omnis anxietas; praesertim

in materia lubrica periculosissimum foret, multum indagare, utrum voluntas iisdem acquieverit. Praeterquam enim, quod mentes timidiores exinde scrupulis affici soleant, enim tentatio ipsa denuo facile resuscitaretur.

Quantum ad homines timoratae indolis, quique gravem DEI offensionem serio abhorrent, jam §. 597. monui, iisdem in dubio praesumtionem patrocinari, se non consensisse. Prae reliquis de scrupulosis tale quid timendum non est, quippe qui ipsam peccati umbram adeo exhorrescunt.

2. Generatim consensus, qualis ad peccatum mortale requiritur, defuisse censetur: *a)* Siquis cogitationem pravam mox, ut illam advertit, respuere studuit; *b)* si, quamvis pars animalis ferocire perrexerit, mens tamen ita comparata fuit, ut peccatum oblata etiam illud patrandi opportunitate constanter aversaretur; *c)* prout etiam, siquis illud, quod sibi semisopito vel ad alia distracto acciderat, ubi sui compos reddebatur, statim retractavit. Cf. §. 109.

3. Neque tum circa tentationes praeteritas nos anxios esse oportet, ubi in procinctu ad sacramentalem confessionem sumus. Dum ergo consensus dubius videtur, absque solicitiori indagatione eorum DEO sincere nos humiliemus, tumque statum nostrum, qualis nobis apparet, simpliciter fateamur.

## §. 614.

### De agendis post lapsum.

1. Quodsi quis reapse infeliciter decertavit, ubi culpae suae sibi conscius redditur, primum utique est, ut de lapsu suo sincere poenitens mox iterum resurgat, atque cum DEO post culpam praecipue lethalem quantocius reconcilietur. „*Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis. Sed et siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem J. Chr. justum.*“ I. Joann. 2, 1.

2. Attamen hos lapsus ita nos detestari oportet, ut non turbemur, neque animum despondeamus. Tristitia, *quae est secundum DEUM*, nos quidem humiles et contritos facit, ita tamen, ut fiducia nostra in DEUM, et pax interna non interrumpantur. Contra omnis confusio, quae pusillanimitatem et mentis consternationem involvit, periculosissimis tentationibus accenseri debet. Frustra talis animi abjectio speciem *humilitatis* prae se fert. Etenim quo magis quis ob culpas admissas turbatur et desperat, eo luculentius suam de semet ipso praesumtionem et superbiam ostendit. Homo vere humilis nec mirari nec perturbari solet, ubi sese misere corruisse conspicit, utpote qui infirmitatem suam probe perspectam tenet, neque a semet ipso aliquid boni exspectat. Unde dum de lapsu suo resurgit, atque dolens ad DEUM revertitur: *„En,“* inquiet, *„en Domine, jam iterum ostendi, quanta sit mea fragilitas! Sed etiam tu ostendisti, quam pius sis et misericors, quippe — nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea.“* Ps. 93, 17. Pulcherrima sunt, quae S. Franc. Sal. hac super re tradit. Inter alia hominem misere lapsum ita cor suum interpellantem infert: *„Ah infelix cor meum! non attentis tot propositis in hanc fossam devenimus! Eja ergo surgamus, imploremus misericordiam Domini, et speremus in eo, fore, ut adjuvante ipsius gratia in exequendo proposito constantiores simus. Agedum, saltem ex hoc die caveamus et invigilemus nobis; DEUS aderit.“* Philoth. P. III. c. 9. Et hanc quidem methodum tenere oportet, quotiescunque de novo cecideris. Audi, quid DEUS ipse nobis annuntiet: *„Sic locuti estis, dicentes: Iniquitates nostrae et peccata nostra super nos sunt, et in ipsis nos tabescimus. Quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: Vivo ego, dicit Dominus; nolo*

*mortem impii, sed ut convertatur et vivat.*" Ezech. 33, 10. et seq.

3. Simul vero ita de lapsu tuo resurge, ut hac ipsa tristissima experientia in posterum cautior fias. Disce vel nunc saltem, quanta sit fragilitas tua, ut de temet ipso diffidas; quam periculosa tibi haec vel illa occasio sit, ut eam declines; et quae sit generatim sors hominum, ut et aliis, dum sternuntur, rite compatiaris: „*Qui non est expertus, pauca recognoscit. Multa vidi errando, et plurimas verborum consuetudines. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum horum causa, et liberatus sum gratia DEI.*" Eccli. 34, 10. et seq.

## §. 615.

### De agendis post victoriam.

1. Demum, ubi adjutus gratia DEI victor exstitisti, recti conscientia, quae inde redundat, ita fruere, ut neque tibi aliquid boni adscribas, neque te jam quasi in tuto positum arbitreris. Prout historia de Parthis narrat, eos etiam fugientes formidandos fuisse, quippe qui sagittis a tergo vibratis insequentes ferire noverant; ita et hostis infernalis. Ejusmodi spicula, quae in fuga sua retorquet, praecipue sunt: Inanis complacentia et fiducia de semet ipso, et falsa securitas.

2. Inprimis igitur cave, ne de victoria per gratiam divinam obtenta tibi ipsi aliquid decerpas. DEUS enim *gloriam suam non dabit alteri.* Etiamsi gratia DEI in te vacua non fuerit, sed etiam ipsusmet eidem cooperatus sis, fatere tamen cum Apostolo: „*Non ego autem, sed gratia DEI mecum. DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam per D. N. J. Chr.*" I. Cor. 15, 10. et 57.

3. Pari modo cavendum est, ne te securum existimes,

atque ad novos hostium insultus torpescas. „*Non enim cessat ab insidiis suis serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, qui seducit universum orbem.*“ Apoc. 12, 9. Quapropter „*vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini.*“ I. Cor. 16, 13. „*Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*“ Matth. 10, 22.

# PARS II.

## ASCESIS APPLICATA.

### §. 616.

#### Dispositio hujus partis.

1. Ascesis applicata exponit, qua ratione moderator spiritualis alios ad perfectionem statui eorum convenientem scite dirigere queat. Dantur quippe in sancta DEI Ecclesia omni tempore animae bonae, dociles atque donis tam naturae quam gratiae ita dispositae, ut, dummodo expertum ducem nanciscantur, in via perfectionis egregie sint profecturae. Praesertim ad officia *confessarii* spectat, ut non tantum eorum, qui adhuc per fidem ambulant, *vulneribus* mederi sciat, sed ut iisdem ad coelestem quoque patriam ductum praestet.

2. Hunc in finem praesentem tractatum in tres sectiones disposui, quarum prima *necessarias directoris spiritualis dotes;* altera viam *purgativam*, prout vocari solet; tertia demum viam *illuminativam* et simul *unitivam* complectitur. His brevem appendicem de sublimiori contemplatione subjungam.

# SECTIO I.

## DE NECESSARIIS DOTIBUS SPIRITUALIS DIRECTORIS.

### Caput I.

*De requisitis in confessario generatim.*

### §. 617.

De approbatione et jurisdictione.

1. Quia directio spiritualis potissimum et vix non unice in sacro tribunali exerceri solet, non incongruum videtur, ut etiam ea huc transferam, quae directori qua *ministro Sacramenti poenitentiae* generatim incumbunt. Atque sub hac ratione triplici munere fungitur; nempe *judicis, medici* ac *doctoris.*

2. Et quidem qua *judex*, cui potestas sit remittendi peccata retinendive, necessario indiget:

*a)* *Charactere sacerdotali*, ut in conferendo hoc Sacramento Christi personam agere possit, Trid. Sess. XIV. can. 10.;

*b)* *approbatione*, seu legitimo testimonio de sua ad excipiendas confessiones idoneitate; demum

*c)* *jurisdictione*, qua eidem certi subditi assignantur, in quos hanc suam potestatem exerceat.

3. Quare *potestas ordinis* est quidem necessaria; attamen per se solam nondum sufficit, ut quis extra mortis articulum Sacramentum poenitentiae valide administret. Dum ergo in ordinatione dicitur: „*Accipe Spiritum san-*

*ctum, quorum remiseris peccata etc.,*" haec verba potestatem nonnisi incompletam, vel potius tamdiu ligatam conferunt, usque dum jurisdictio et approbatio accesserint. Hinc Trid. Sess. XIV. cap. 7. decernit; „*Quoniam natura et ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia DEI fuit, et verissimum esse Synodus confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*"

Verumtamen pie admodum, nequis pereat, in eadem Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut in articulo mortis vel propinquo periculo ejusdem quivis sacerdos quoslibet poenitentes a quibuscunque peccatis et censuris absolvere possit. In his ergo circumstantiis, si nempe confessarius legitimus haberi nequeat, sacerdos etiam simplex, imo etiam excommunicatus, haereticus, depositus etc. illimitatam absolvendi potestatem nanciscitur.

Olim sacerdoti etiam simplici necessaria jurisdictio in peccata venialia, nec non et gravia, sed jam in confessione priori deleta concessa esse censebatur. Attamen per decretum Innoc. XI. *de Commun. quotid.* praecipitur ordinariis, *ne permittant, ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti ab ipsis non approbato.*

4. Est vero *jurisdictio*, de qua in praesenti agimus, potestas ferendi sententiam sacramentalem in poenitentem sibi confessum. Dividitur in *ordinariam* et *delegatam;* illa ipsi muneri vel officio e. g. Episcopi vel parochi inhaeret; haec vero ex illius, qui ordinariam habet, concessione acquiritur.

Celebris est illa Ecclesiae constitutio, qua ad imitationem legis *Barbarius* 3 ff. de off. Praet. jurisdictio per *errorem communem* confertur. Hunc in finem requiritur, *a)* ut sacerdos confessiones excipiens a plerisque in communitate

jurisdictione instructus esse credatur; et *b)* ut huic errori *titulus coloratus*, vel ut aliqui volunt, saltem rationabiliter praesumtus subsit. In hoc igitur casu, etiamsi sacerdos ipse in mala fide versetur, Ecclesia tamen in bonum communitatis defectum jurisdictionis supplet. Hinc valide absolvit parochus occulte simoniacus, suspensus, vel alius sacerdos, cujus approbatio occulte exspiravit, ita ut confessiones ceteroquin legitimae, et eidem bona fide factae errore postmodum detecto non sint repetendae.

5. Jurisdictio amittitur per *excommunicationem majorem, suspensionem*, lapsu temporis etc.

6. Quod *approbationem* concernit, Tridentinum statuit: „*Nullum, etiam regularem, posse confessiones saecularium, etiam sacerdotum, audire, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem obtineat.*“ Sess. XXIII. cap. 15.

7. Et haec quidem approbatio obtineri debet ab Ordinario loci, in quo quis confessiones audit, vel ab ejusdem vicario; cum certe ad cujusvis Episcopi officia spectet providere, ut munus tam grave nonnisi idoneis sacerdotibus committatur. Porro concedi potest vel illimitate, vel eum restrictione ad certum tempus, vel locum, vel etiam ad certas personas.

Singulariter ad absolvendas moniales in monasteriis requiritur specialis approbatio Ordinarii, sive ordinarie, sive extraordinarie audiantur. Insuper qui pro uno monasterio approbatur, exinde pro alio quamvis ejusdem dioecesis nondum approbatus censetur. Constit. Greg. XV. *Inscrutabili*, et Clem. X. *Superna.*

Pro nostra dioecesi constit. synod. habent: *Praeterea declaramus, nos illis omnibus, quos ad curam animarum approbaverimus, nisi specialem addamus restrictionem, simul spiritualem fori interni jurisdictionem concedere ad confessiones in tota nostra dioecesi valide audiendas, non*

*autem licite, antequam consensus curionis loci accesserit. Sacerdotibus extradioecesanis in confinibus nostrae dioecesis existentibus similem potestatem ac jurisdictionem impertimur, ut, si et quatenus in sua dioecesi ab ordinario proprio ad audiendas inibi confessiones approbati fuerint, etiam in confinibus nostris nedum valide, sed accedente parochi vel curati nostratis licentia, etiam licite confessiones excipere valeant, exceptis tamen semper casibus, quos nobis solis reservamus.*" Tit. 14.

## §. 618.

### De restrictione jurisdictionis.

1. „*Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere Ss. Patribus nostris visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices Maximi pro suprema sibi potestate in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt judicio reservare. Neque dubitandum est, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique dioecesi, in aedificationem tamen, non in destructionem liceat etc.*" Trid. Sess. XIV. cap. 7. „*Attamen,*" prout ibidem additur, „*ne quis hac occasione pereat, semper custoditum fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis. Extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.*"

2. Cum igitur crimina nonnisi atrociora et graviora reservari consueverint, requiritur, ut peccatum, quod reservationi subjaceat, sit mortale, externum, quoad eam malitiam, quae reservationem involvit, cognitum, in sua specie completum, et directe nunquam hucusque remissum. Demum quia in dubio odia sunt restringenda, certum vel

saltem probabilius sit, actum esse positum, eumque reservationi subjacere.

3. Finis reservationis est, ut ejusmodi crimina vel gravius puniantur, vel efficacius emendentur.

4. Et quidem reservationes pontificiae ordinarie excommunicationem sibi annexam habent. Unde cum in his peccatum *propter annexam censuram* reservetur, qui hanc ignoravit, a reservatione immunis est. Poenae scilicet ecclesiasticae tantum in *contumaces* feruntur, quales non censentur, qui censuram delicto suo annexam nescierunt, nisi ignorantia isthaec omnino crassa et supina fuerit. Idem obtinet, si propter metum vel aliam causam censura non incurratur.

Inter reservationes pontificias, quibus nulla censura inhaeret, praecipue memoranda venit calumnia, qua quis innocentem sacerdotem de sollicitatione ad turpia in sacro tribunali facta falso accusat. Bened. XIV. *Sacram. poenit.* Interim quia dictae censurae a summis PP. ex gravissimis rationibus latae fuerunt, intentioni Ecclesiae parum convenit, ut passim ignorentur, praesertim quoad ea crimina, quae valde atrocia sunt, et nihilominus interdum patrari solent, qualia sunt: Violenta manuum injectio in clericum; sacrilega effractio et spoliatio Ecclesiarum; commissio duelli etiam non solemnis; procuratio abortus et cooperatio ad illam; simonia realis circa ordines ac beneficia; item simonia confidentialis etc. etc. Absque dubio multi ab ejusmodi peccatis absterrerentur, si poenas sibi intentatas novissent.

5. Reservatio pure *medicinalis* dicitur, dum potestas a certis peccatis absolvendi ideo superiori reservatur, ut peccans magnitudinem sceleris magis edoceri, et a superioribus scientioribusque efficacius corrigi possit. Et tales quidem reservationes Episcopi statuere solent. Unde hisce etiam illi implicantur, qui easdem ignoraverunt, utpote cum finis, quem reservatio intendit, semper locum habeat.

### §. 619.

**Appendix de sacerdote complice et sollicitante.**

Juvat per modum appendicis constitutiones illas inserere, quae a summis Pontificibus contra sacerdotes vel peccati turpis complices, vel ad turpia sollicitantes editae fuerunt. Quamvis enim hae leges statui sacerdotali parum honorificae, et insuper, prout speramus, rarissimi usus sint, illas tamen scire oportet; et utique integritati nostrae nihil detrahitur, dum in facinorosos publicae poenae statuuntur.

1. Inprimis itaque Benedictus XIV. per constitutionem: *Sacramentum poenitentiae* cavit, ne confessarii tum saeculares tum regulares absolvere possint suos complices in peccato contra sextum decalogi praeceptum, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius sacerdotis. Qui secus fecerint, ipso facto excommunicationem summo Pontifici reservatam incurrunt, et tales confessiones sunt invalidae, irritae et nullius valoris. Attamen idem Pontifex per aliam subinde constitutionem *apostolici muneris* declaravit, sacerdotem *in articulo mortis* complici suo absolutionem impertiri posse, quando alius sacerdos, etiam simplex, vel penitus deest, vel non sine gravi infamia, aut scandalo vocari potest. Si tamen alius sacerdos praesto fuit, vel periculum scandali aut infamiae declinari potuisset; tum absolutio a complice impertita equidem valida declaratur, absolvens vero excommunicationem incurrit.

2. Pari modo ad coërcendam sacrilegam et execrandam impietatem, qua improbi sacerdotes fors in ipsa confessione, vel sub ejusdem praetextu poenitentes ad turpia sollicitare auderent, plures constitutiones pontificiae emanarunt, scilicet Pii IV., Pauli V., praesertim vero Gregorii XV., et Benedicti XIV., ex qua ultima cum sit norma et regula praesentis materiae, sequentia huc transfero: „*Mandamus omnibus locorum Ordinariis, ut diligenter,*

*procedant contra omnes et singulos sacerdotes, tam saeculares quam regulares, quomodolibet exemtos, et sedi apostolicae immediate subjectos, qui aliquem poenitentem vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, in confessionali, vel in alio loco ad confessiones audiendas deputato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare sive verbis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam tunc aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones habuerint; in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant; concedentes facultatem procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumtiones, indicia et alia adminicula concurrant. Meminerint praeterea omnes sacerdotes, teneri se, suos poenitentes, quos noverint ab aliis, ut supra, sollicitatos, sedulo monere de obligatione denuntiandi locorum Ordinariis personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a confessario non pro se, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper confessarii, ne poenitentibus, quos noverint ab aliis sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, quamprimum poterunt, delaturos spondeant. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio vel ira, aut alia indigna causa commoti,*

*vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coërceatur, quaecunque persona, a quocunque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a nobis notrisque successoribus, nisi in fine vitae, et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam nobis et successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat.*

Hisce constitutionibus, quia sat planae videntur, aliud haud addendum censeo, nisi: *a)* Easdem juxta receptam regulam juris esse *strictae interpretationis*, et proinde ad alios casus extendi non debere, quam qui in illis continentur; *b)* denuntiationem sacerdotis sollicitantis nostris in locis ad ejusdem Ordinarium seu Episcopum dirigendam esse, ubi, sive oretenus sive per epistolam id fiat, simul exprimi debet, in quo sollicitatio isthaec constiterit. *c)* Quamvis dentur aliquae rationes excusantes, molestiae tamen *consuetae*, e. g. verecundia, commiseratio erga sollicitantem etc. ab hac denuntiandi obligatione neutiquam excusant.

Si, quod tamen DEUS avertat, compereris, poenitentem ab aliquo confessario sollicitatum fuisse, quin illum hucusque denuntiaverit, eidem, prout constitutio superius citata habet, absolutionem sacramentalem tamdiu differre debebis, donec delinquentem indicaverit, vel saltem se, quamprimum poterit, id facturum spondeat. Quid vero, si persona sollicitata Episcopum adire, vel etiam ad eundem literas dare nequeat? Tum aliud plerumque non superest, nisi ut tu poenitentis nomine tristissimum hoc negotium obeas. Generatim vero cave tibi a nimia credulitate, vel ne ipse temet absque necessitate ingeras. Quodsi illud declinare non liceat, instabis, ut poenitens totam rei seriem extra confessionem tibi ex-

ponat, (appromisso eidem secreto naturali) tumque factu optimum erit, ut epistola verbis et nomine ipsius poenitentis adornetur, ita tamen, ut in personam sollicitantis non inquiras, sed ut poenitens ipse illius nomen chartae singulari bene clausae et obsignatae inscribat, quam deinde literis tuis insertam ad Ordinarium transmittes.

## §. 620.

De necessaria scientia et judicii maturitate.

1. Quae hucusque exposui, requiruntur, ut sacerdos Sacramentum poenitentiae *valide* ministret. Nunc de iis agendum, quibus indiget, ut hoc tanto munere absque peccato defungatur. Quia tamen de his Theologia pastoralis uberius tractat, hoc loco nonnisi regulas maxime generales afferam. Itaque confessarius non solum judicem, sed etiam medicum atque doctorem agit. Quem vero latere possit, quanta sub hac triplici relatione scientia et judicii maturitate indigeat?

2. Inprimis enim qua *judex* sciat oportet, quousque jurisdictio sua extendatur; quae sint peccata reservata, et quae censurae, a quibus ipse absolvere haud possit; porro quae sit peccatorum expositorum gravitas, quis eorum, quae gravia videntur, numerus, et quae sint circumstantiae, quibus vel species mutetur, vel pondus notabiliter ingravescat; praesertim quae sit dispositio poenitentis, num rite sufficienterque doleat, num ejusdem proposito fides haberi possit; pariter quid ipsi injungendum sit, ut tum justitiae divinae, tum etiam laesis juribus aliorum satisfiat, ubi praecipue doctrina de restitutione praesens negotium perarduum reddit. Denique interdum causae implicatae occurrunt, ubi, cum firmum judicium non detur, magna dexteritas requiritur, ut judex ad veritatem saltem, quam possit proxime accedat.

3. Officium *medici* est, ut tum morbos, quibus quis revera laborat, depellere, tum imminentes praecavere sciat. Sub prima ratione inter lepram et lepram discernere, peccatorum fontes, occasiones et irritamenta investigare atque scire debet, quae remedia attentis omnibus circumstantiis prae reliquis efficacia videantur. Ut vero morbos imminentes praecaveat, perspectum habeat necesse est, quae sit generatim conditio humani cordis; quae singulorum indoles; quae pericula et illicia removeri, quaeque subsidia illi praescribi, vel certe consuli debeant, ne funestissimam luem contrahat. Atque hanc solicitudinem non illi tantum expetunt, qui a morbis suis reconvalescentes praemuniri debent, ne relabantur; sed pari modo etiam ii, quorum vita hucusque integra scelerisque pura fuit; imo labor multo gloriosior est innocentes servare, ne corrumpantur, quam corruptos ad meliorem frugem reducere.

4. Demum ut munus *doctoris* rite exequatur, opus est, ut ignorantes circa mysteria fidei scitu necessaria, circa modum eliciendi dolorem et propositum, circa modum rite confitendi, circa officia status sui etc. instruat, ut vanas excusationes, quales non raro afferuntur, refutet, dubia dissolvat, atque ut *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.* Hunc in finem non solum obligationes diversorum statuum, atque jus divinum aeque ac naturale, sed etiam ecclesiasticum, imo sub aliqua ratione jus quoque civile calleat, ut, quod cuique incumbat, tuto designare possit.

5. Utique non in omnibus eadem scientia requiritur. Plurimum sane discriminis intercedit, quo quis in loco sacrum hoc ministerium exerceat, utrum e. g. in corrupta aliqua civitate, an vero in dissito pago, ubi germana adhucdum fides et ingenua morum simplicitas viget. Insuper facile concedo, virum etiam doctissimum vix sufficere, ut

horum omnium notitiam prorsus exactam, et praesertim ut vivam semper omnium memoriam teneat. Quare, etiamsi in confessario nulla scientia nimia dici queat, sufficit tamen ordinaria, quae ad sequentem fors regulam reduci potest: *„Tanta sit scientia confessarii, ut sciat saltem communia; in aliis vero, quae sunt minus usitata et intricatiora, saltem prudenter dubitare possit.“* Itaque

*a)* inprimis unusquisque saltem *communia* scire satagat, seu quae tum generatim ubique locorum attendi debent, tum etiam in loco, ubi confessiones excipiuntur, sat frequenter occurrunt. Huc igitur spectant, quae gravitatem, speciem et numerum peccatorum, dolorem et propositum, consuetudinem et occasionem peccandi, jurisdictionem et officia consueta concernunt. Tum vero speciatim indagandum est, quae alicubi singularia videntur, scilicet mores ibidem usitati et peculiaris vivendi ratio, vitia frequentius patrari solita, et eorundem irritamenta, singulares expressiones, quibus poenitentes in confessione fors utuntur etc.

*b)* In aliis vero, *quae sunt minus usitata et intricatiora, confessarius saltem prudenter dubitare sciat,* ut scilicet sententiam suam suspendat, atque, priusquam illam ferat, vel probatos auctores, vel viros doctiores consulat. In ejusmodi ergo casibus poenitentem, dummodo ceteroquin rite dispositus, atque ad faciendam omnem justitiam paratus videatur, absolvere poterit, condicto prius die, quo ad excipiendam sententiam redeat, nisi ad peritiorem velit accedere.

6. Interim sacerdos conscientiae timoratae animum haudquaquam despondeat, si post adhibitam industriam, quae *ordinaria* dicitur, interdum erret. Sane per plures, easque non raro continuas horas hominum adeo diversorum confessiones excipere, ad tot ac tantas res attendere,

judicare, obsecrare, fluctuare, denique lassitudine pene confici, et tamen in nullo capite deficere, id, ut Oberrauch. advertit, humanum modum longe excedit. Neque Christus sacrum hoc tribunal ita constituit, ut consuetas hominum vires superet. Qua ratione errores fors commissi postmodum resarciri debeant, ex iis patet, quae §. 460. attuli. Generatim docent, illum, qui de sufficientia sua dubitat, per auctoritatem approbantis securum reddi, *dummodo sedula lectione et diligenti studio exspectationem illius non fallat.* Et hoc utique studium a nullo unquam confessario negligi debet. Neque exempla desunt, etiam tales, qui in examine pro cura egregie responderant, post aliquot annos vix non jejunos repertos fuisse, eoquod per socordiam suam doctrinae prius comparatae magna ex parte obliti fuerint.

## §. 621.

### De necessaria prudentia.

1. Praeter rerum plurimarum notitiam confessarius multa quoque prudentia indiget. Et haec quidem prudentia non carnalis, sed quae desursum est, descendens a Patre luminum, etiamsi eundem semper finem sibi praefixum habeat, nempe gloriam DEI et salutem animarum; pro diversa tamen poenitentium conditione diversissimas formas induit, ad exemplum Apostoli dicentis: „*Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*“ I. Cor. 9, 22. Brevitatis causa ea tantum adduco, quae frequentissimi usus esse solent.

2. Primo itaque magna prudentia opus est in *quaestionibus*, quibus poenitens interpellatur. Quem in finem haec sunto:

*a)* Non omnes poenitentes, sed illi solum interrogandi sunt, quorum conditio moralis ex propria illorum con-

fessione non satis explorata habetur; dum scilicet vel ipsa peccata gravia, vel illorum numerum aliasque circumstantias necessario exprimendas reticuisse videntur; item dum dubitatur, utrum in prava consuetudine vel occasione proxima versentur; utrum sciant necessaria religionis dogmata, et officia sibi incumbentia; utrum confessioni debitam praeparationem praemiserint. Unde ejusmodi quaestiones praesertim ad illos dirigendae sunt, qui admodum rudes inveniuntur, vel levitatem aut etiam intempestivam verecundiam prae se ferunt, idquod praecipue in aetate juvenili fieri consuevit. Imo non desunt, qui jam praevie exspectant fore, ut confessarius illos interroget; unde ipso tacente peccata etiam gravissima silent. Generatim in iis, qui gravia confitentur, una alterave quaestio vix unquam superflua erit, prout etiam in juvenibus, etiamsi peccata nonnisi venialia exponant. Demum certis saltem occasionibus sciscitari expedit, utrum poenitens in conscientia sua plene tranquillus sit, an vero re aliqua ex priori fortasse vita angatur.

*b)* Absit vero a confessario curiositas; nec plura exquirat, nisi quae ad Sacramentum rite percipiendum necessaria, vel certe vere proficua videntur. Insuper quaevis quaestio affectu vere paterno fiat; sit adaptata aetati, statui et negotiis poenitentis, ut de illis tantum interrogetur, quae consideratis illius circumstantiis solide suspicari licet; interdum ubi poenitens valde rudis videtur, eadem quaestio mutatis terminis iterato ingeratur; et praesertim in materia lubrica examen, quod cum poenitentibus maxime junioribus instituitur, cautissimum sit oportet. „*Quod spectat ad peccata carnis, confessor summam adhibeat cautelam in eorum interrogatione, ut, cum peccati speciem et*

*circumstantias graviores audierit, a ceteris abstineat. Summa prudentia ea de re interroget mulieres aut adolescentes, ne eos, quod ignorant, edoceat; atque utatur verbis pudorem minime laedentibus.*" S. Carol.

3. Pari prudentia opus est, dum confessarius poenitentem admonet, hortatur, vel circa officia, quae fors ignorat, instruit. „*Neque enim una eademque cunctis exhortatio congruit, quia non cunctos par morum qualitas adstringit; saepe namque aliis officiunt, quae aliis prosunt. Panis, qui vitam fortium roborat, parvulorum necat.*" S. Greg. M. Dantur quidem adhortationes generales, quales ex circumstantiis temporis, occurrentis festi etc. depromi possunt, et quibus poenitens ad horrorem peccati, ad fidem, spem, charitatem etc. accenditur; dum tamen poenitenti monita specialia suggeruntur, haec ipsius indoli, aetati, statui et reliquis indigentiis apprime accommodari debent. Quantum ad *instructionem* illi impertiendam sequentes regulas subjicio:

*a)* Si poenitens per conscientiam erroneam actum aliquem licitum pro peccaminoso habet, confessarius hunc illi errorem omnino eximere tenetur; prout etiam, si peccatum aliquod veniale tamquam reatum gravem apprehendit.

*b)* Similiter et ille errorem suum dedocendus est, qui hucusque per ignorantiam aliquid, quod reapse prohibetur, tamquam licitum patravit, nunc tamen fluctuat, vel etiam directe a confessario, quid rei subsit, sciscitatur.

*c)* Si tamen poenitens adhucdum in *bona fide* existat, simulque ob notam ipsius infirmitatem praevideatur fore, ut ex peccatore materiali formalis fiat; omnino tacendum erit, puta, nisi speciales rationes aliud exi-

gant. Unde et leges sacrae docent c. 6. de consang.: „*Dissimulare poteris, ut conjuges, quorum matrimonium erat nullum, remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione videas scandalum imminere.*"

Attamen ubi de *praeceptis juris naturae* agitur, vix unquam fiet, ut, qui illa transgreditur, constanter et inculpate in *bona fide* sit; et simul sperare licet, talem, ubi edocetur, si non ex integro, aliquatenus saltem et successive sibi temperaturum esse. Hinc neutiquam tacere licet, dum poenitens e. g. hucusque mollitiei indulsisse deprehenditur, quamvis ignorans id fecisse videatur. Verum neque in hoc casu semper necessarium est, ut dicatur poenitenti, esse peccatum *grave*.

4. Quam prudentes nos in statuendis satisfactionibus esse deceat, ex §. 600. patet. Praecipua demum solicitudo requiritur circa dandam negandamve absolutionem. Pro theoria quidem facilis est responsio, scilicet: Supposito sufficientem tibi jurisdictionem competere, *poenitentem rite dispositum absolve; indisposito autem absolutionem tamdiu differ, donec dispositus fuerit.* Ast in ipsa praxi res saepe difficillima est, ut rigorem inter et laxitatem via semper media teneatur.

*a)* *Deneganda* itaque est absolutio iis, qui vel peccata sua non, prout requiritur, detestantur, vel id, ad quod *sub gravi* tenentur, adimplere nolunt, e. g. qui nolunt rem alienam restituere, cum inimicis reconciliari, derelinquere proximam et voluntariam occasionem, mores depravatos serio corrigere etc. Et quidem de consuetudinariis et occasionariis vid. §.§. 150. et 127. seq. Huc quoque spectant Lit. encycl. Bened. XIV. occasione Jubilaei 1750, ubi plures propositiones ab Innoc. XI. damnatae referuntur. Specialem molestiam

etiam illi poenitentes facessunt, qui peccatum grave reticent, quamvis confessario aliunde constet, illud ab ipsis patratum fuisse. Quia tamen res haec longiori discussione indigeret, eam ad Theologiam pastoralem transmitto.

*b*) *Differenda* est absolutio, quoties vel signa debitae dispositionis nonnisi dubia occurrunt, vel haec ipsa dilatio poenitenti novum calcar addit, ut monita et praescripta confessarii tempore intermedio certius exactiusque exequatur. Verum gravissima quaestio est, quousque homini e. g. consuetudinario absolutio differri debeat. Nam fieri solet, ut ejusmodi poenitentes per aliquod tempus ad obtinendam scilicet absolutionem sibi quidem temperent, hac vero obtenta priorem consuetudinem repetant. Unde, prout disciplina pastoralis uberius docet, multa attentio requiritur tum ad indolem poenitentis, tum ad circumstantias externas, tum demum quale vitium illud sit, quo laborat, et quem confitendi modum hucusque tenuerit.

Maxime optandum est, ut omnes confessarii in deneganda vel differenda absolutione iisdem principiis insistant, ne, quod alter colligit, alter dispergat. B. Leon. a Portu exemplum communitatis affert, quae blasphemiis valde assueta, ast brevi tempore ab hoc vitio sanata fuit, postquam omnes ibidem et in confinibus sacerdotes inter se convenerant, se tamdiu nullum blasphemum absoluturos, donec sufficientia emendationis signa praebuisset. Quid, si etiam nostro tempore, cum alicubi certum vitium ingravescit, sacerdotes tale inter se foedus inirent? Idquod in conferentiis sacerdotalibus facillime fieri posset.

## §. 622.

### De virtutibus ipsi prae reliquis necessariis.

1. Non minori studio confessarium virtutibus, quam

scientiis incumbere oportet, idque tum sui ipsius causa, tum in salutem poenitentis. Et quidem inprimis *gratia sanctificante* indiget, utpote tot sacrilegia perpetraturus, quot poenitentes in miserrimo statu divinae disgratiae absolveret. Res horrenda, cogitare sacerdotem DEO inimicum ejusdem in confessionali vices agentem, et dum alilos solvit, sese novis semper vinculis illigantem! *„Peccatori autem dixit DEUS: Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Arguam te, et statuam contra faciem tuam. Intelligite haec, qui obliviscimini DEUM, ne quando rapiat, et non sit, qui eripiat.“* Ps. 49. Praeterea in sacro hoc ministerio non pauca peccatorum irritamenta et offendicula dantur. Speciale periculum non raro virtus angelica castitatis experitur. Ea hic audire nonnunquam ac discutere cogimur, quae sensui animali valde lenocinantur, et insuper ex frequenter auditis quaedam ad vitia assuetudo nascitur, qua illorum horror multum imminui solet. Quam periculosum ergo, ne materia igni concipiendo tam apta flammis propinquis corripiatur!

2. Equidem sacerdos *in omni virtutum genere* eminere studeat, *„ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus.“* II. Tim. 3, 17. Quid enim adhortationes nostrae proderunt, si exemplis nostris contrariis enerventur, vel saltem nihil inde roboris accipiant? Praecipue vero confessarius resplendeat

*a)* *charitate*, qua gloriam divinam et fratrum salutem pro viribus promovere studeat. Hinc sine personarum acceptione omnes poenitentes tamquam oviculas Christi sanguine redemtas suspiciat, quarum divinus pastor curam ipsi demandavit, ast et severam rationem exiget. Unde debiles benigne fovere, dociles et firmiores ad exoptata pascua deducere, misere deperditis pie

compati, denuo inventis vero cum Angelis congaudere decet.

*b)* Excellat *patientia et mansuetudine;* charitas quippe patiens est, benigna est, non quaerit, quae sua sunt, non irritatur, potius omnia suffert. Hac virtute tum praecipue indiget sacerdos, ubi homines timidi, scrupulis agitati, rudes et inurbani, in narrationibus suis prolixi, vel saepius recidivi pedibus ipsius advolvuntur. Unde identidem memorem esse decet praecepti apostolici: „*Induite vos, sicut electi DEI, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.*" Col. 3, 12.; vel ut Gal. 6, 1. dicitur: „*Vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.*" Prae reliquis consuetudinarii compassionem merentur. Etiamsi saepius spem conceptam frustraverint, ipsorum tamen salus, quamdiu vivunt super terram, non est desperanda; non enim nostrum est nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate. Unde de novo semper iisdem contestari commiserationem, consilia et motiva emendationis suggerere, eosque non intermissa charitate urgere oportet, ut tandem serio resipiscant; et quamvis absolvi nequeant, benigne tamen dimittendi sunt, ne forte durius repulsi vel exacerbentur, vel redire timeant. „*Nihil sic probat spiritualem virum, quam peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potius, quam insultationem, potius auxilia, quam convicia meditatur, et quantum facultas tribuitur, suscipit.*" S. Aug.

*c)* Haec tamen benignitas *sacerdotali gravitate et constantia* temperata sit oportet. Unde non tantum in omni ejus conversatione nihil appareat, quod virum maturum, praesertim sacerdotem dedeceat; sed sepo-

sita vana formidine quosvis poenitentes ita excipiat ac dimittat, prout coram DEO videbitur. „*Noli quaerere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas faciem potentis, et ponas scandalum in aequitate tua.*“ Eccl. 7, 6.

*d)* Demum quia praesertim *castitas* hac occasione magnos interdum insultus patitur, haec quoque virtus omni cum solicitudine sepiri atque firmari debet. Praecipue sacerdotes juniores ex hac parte sibi caveant. „*Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in castitate.*“ I. Tim. 4, 12.

3. Ad obtinendas hasce virtutes media efficaciora plane non dantur, quam profunda *humilitas et diffidentia* de nobismet ipsis, cum omnis sufficientia nostra ex solo DEO sit; *firma fiducia* erga ipsum; *frequens oratio*, qua nos tum ad obeundum hoc sacerrimum ministerium praeparare, tum inter ipsas confessiones animum saepissime sursum erigere satagamus; denique repetita *meditatio*, quanto pretio quaevis anima Christo constiterit, quanta nobis exultatio immineat, si unam alteramve lucrati fuerimus etc. Imo hisce subsidiis non nobis tantum, sed etiam poenitentibus praeclare providebimus. Ubi in confessario humilitas, studium orationis et fervor charitatis desunt, etiamsi linguis hominum loquatur et Angelorum, erit tamen velut aes sonans aut cymbalum tinniens; conversio quippe peccatoris non est opus humanae industriae, sed gratiae divinae. Hinc etiam eadem verba ex ardente pectore depromta longe aliter sonant, quam ex frigido. His ergo insistentes non *deficiamus; tempore enim suo metemus, non deficientes.* Utcunque labor nobis molestus videatur, illud nos erigat, quod Ps. 125. dicitur: „*Euntes ibant et*

*flebant, mittentes semina sua; venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.*"

## §. 623.

### De modo agendi sub ipsa confessione.

1. Ex multis, quae sub ipsa confessione observanda veniunt, pauca tantum excerpo. Itaque, quamvis poenitentes tempore minus commodo fors veniant, absque omni tamen aegritudine, sed pia potius alacritate illos excipe, ut intelligant, rem tibi esse plenam solatii eorum salutem curare. Implorato igitur divino auxilio promtus et demissis modeste oculis locum confessionis accede. Memor esto, nomen, quo poenitens te compellat, esse *patris;* hinc paternum quoque ipsi affectum exhibe, atque quod tibi fieri velles, et illi facito; seu ut Eccli. 31, 18. legitur: „*Intellige, quae sunt proximi tui, ex te ipso.*"

2. Postquam noveris, quando poenitens ultima vice confessus sit, ipsius accusationem ne facile interrumpas; sed quae inquirenda vel monenda videntur, ad finem reserva. Cave, ne quid admirationis indignationisve ostendas, dum ille peccata fors atrociora exponit; potius ad novam illum fiduciam hortare, ne quid eorum, quibus conscientia gravatur, occultet.

3. Neque aegre feras, si ad unum alterumve poenitentem rite expediendum tempus consueto majus requiratur; praestat audire pauciores, sed rite dispositos, quam multos perfunctorie. Hinc male agunt confessarii, qui propter alios adstantes omittunt, quae tamen, ut singulis rite provideatur, fieri oporteret; pejus adhuc, qui poenitentem intempestive urgent, ut negotium suum quam citissime absolvat. Sic etenim fit, ut perturbetur, vel omnino necessariam confidentiam amittat. Attamen plane convenit, ut, ubi magnus populi concursus urget, animae piae, quarum in-

terna conditio confessario ex frequenti accessu sat perspecta est, solito citius dimittantur; qui vero gravia confitentur, et longiori industria indigent, in ejusmodi concursu plerumque suaviter rogari possunt, ut hodie recedant, et die minus impedito revertantur.

4. Quodsi ex quacunque ratione poenitentem non intellexeris, mox interroga, ut repetat, nisi fors ex nota poenitentis conscientia aliisve circumstantiis sufficienter constet, id, quod non intellexeras, peccatum nonnisi leve fuisse.

5. Cavendum quoque est, ne tum in examinando tum adhortando poenitente voce elatiori utaris, quae a circumstantibus percipi possit. Sic enim et sacerrimum sigillum violaretur, et qui succedunt, peccata sua fateri erubescerent timentes, ne et ipsi manifestentur. Ipsa forma absolutionis tam submisse semper pronuntietur, ut adstantes, siquem forte non absolveris, nihil inde advertant.

6. Demum poenitenti libera prorsus electio permittatur, utrum tibi, an alteri confiteri velit; absit vel minimum indicium aegritudinis, si te derelicto jam alium frequentet. „*Quid enim? dum omni modo Christus annuntietur, et in hoc gaudeo, sed et gaudebo.*“ Philipp. 1, 18.

## Caput II.

*De dotibus singularibus ad animas feliciter dirigendas.*

### §. 624.

De difficultate hujus directionis.

1. Quodsi haec, quae cap. praec. digessi, ad excipiendas singulas confessiones necessaria sunt, multo adhuc plura ad stabilem animarum directionem requiruntur, cum illarum regimen merito *ars artium* dicatur. Ad sacrum

quippe directorem spectat, ut non solum *portum*, sed etiam multiplices vias c. l'eat, per quas animae illuc sint deducendae. Una quidem est civitas superna, coelestis illa Jerusalem; attamen portas duodecim habet, et multae ibidem habitationes dantur. Unde, prout jam §. 510. dictum est, quamvis charitas, quae veram hominis perfectionem complecitur, una semper eademque sit, diversas tamen formas induit, utpote non tantum conditioni hominis externae, sed ipsis quoque singulorum viribus semet attemperans. Absit ergo, ut spiritualis moderator omnibus iter prorsus idem praescribat, eosque ad passus omnino pares provocet, sed *unumquemque*, *sicut vocavit DEUS*. Ast haec ipsa diversitas praesens negotium perarduum reddit.

2. Praeterea, nisi director spiritualis vir admodum prudens, rerum expertus, et praesertim nisi superno lumine illustratus fuerit, plurimae et periculosissimae fallaciae dantur. Interdum homines perversi occurrunt, qui speciem quidem pietatis habent, virtutem autem ejus abnegant; qui proinde ideo tantum sacerdotis ductui se submittunt, ut ejusdem pia fors simplicitate abutantur. Ast multo frequentius accidit, ut animae dirigendae, quamvis decipere nolint, ipsaemet decipiantur, dum vel satanas se in Angelum lucis transformat, vel motus ex sola natura profecti, atque commenta febricitantis phantasiae cum divinis charismatibus improvide commiscentur. Quanta igitur perspicacia opus est, ut ea, quae a natura veniunt, a supernis, et spiritus ipsos rite discernamus!

3. Imo ipsi quoque probitati sacerdotis ex directione continuata nova pericula succrescunt, dum scilicet, praesertim ubi curam sexus debilioris suscepit, animi ex frequenti et fiduciali conversatione sibi familiares fiunt, atque loco flammis nonnisi divinis consecrato ignis pedetentim profanus subinfertur. „*Saepe ignis ardet*, *sed sine fumo*

*flamma non ascendit. Sic et aliquorum desideria ad coelestia flagrant; et tamen a tentatione carnalis affectus liberi non sunt.*" De imit. l. 3. c. 49.

§. 625.

De quibusdam directionis subsidiis.

1. Quamvis vero animarum directio perdifficilis, imo et periculosa sit, illam tamen neutiquam perhorrescamus, ut qui divino sponso operam gratiorem exhibere sane non possumus, quam ubi sponsas praedilectas paranymphorum instar ipsi adducimus. Et generatim DEUS T. O. res nostras ita disposuit, ut alter ab altero dirigi debeat. §. 518. Hunc in finem primum iterum subsidium est, ut de nobismet ipsis diffidentes humiles et non intermissas ad DEUM preces fundamus. „*Maledictus, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum. Benedictus vir, qui confidit in Domino, et erit Dominus fiducia ejus.*" Jer. 17, 5. et seq. Etenim „*meum est consilium et aequitas, mea est prudentia.*" Prov. 8, 14. Hinc ergo saepissime flagitemus: „*Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me;*" vel ut Sap. 9, 4. et seq. legimus: „*Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, et noli me reprobare a pueris tuis! Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillae tuae, et homo infirmus et exigui temporis, et minor ad intellectum judicii et legum.*" In causis intricatis et solito gravioribus devotio etiam singularis instituatur, ut dicamus cum piissimo Josaphat: „*Cum ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*" II. Paral. 20, 12.

2. Simul vero in addiscenda *scientia Sanctorum* indefessi simus, quae praecipue ex attenta et meditabunda

lectione sacrae Scripturae, ex scriptis Ss. Patrum, ex solidis et ab Ecclesia approbatis auctoribus, ex gestis et libris Sanctorum etc. abunde hauriri potest.

3. Ut brevi tempore etiam *experientia nostra* perficiatur, munere nostro semper *considerate* et cum *debita judicii maturitate* defungi, consilia et responsa nostra iterato revolvere, et attendere studeamus, quos effectus conatus noster hucusque habucrit. Demum in causis dubiis, quantum salvo sigillo fieri potest, cum aliis, qui prudentiores vel magis experti videntur, consilia conferre, et eorum sententias sine omni proprii intellectus pertinacia audire juvat. Ipse Apostolus gentium, quamvis Evangelium proxime ex divina revelatione didicerit, cum reliquis tamen conferendum existimavit, „*ne forte*," ut inquit, „*in vacuum currerem aut cucurrissem*." Gal. 2, 2.

4. Inprimis etiam opus est, ut animum ab omni inordinata affectione erga poenitentes purum ac integrum servemus, ita ut, quoscunque DEUS ad nos direxerit, pari omnes pietatis affectu excipientes aliud non intendamus, quam ut DEUS in illis glorificetur. Caveatur ergo omnis ira aut praedilectio erga poenitentem. Pari modo *humanus respectus* eliminetur. „*Nec accipies munera, quae excaecant etiam prudentes.*" Exod. 23, 8. Prout nebulae a terra ascendentes clarissimam lucem solis, ita etiam inordinatae propensiones lumen tum rationis tum fidei obfuscant.

5. Demum, ut alios vere perfectiores reddas,. *perfice te ipsum*. Nemo viam securius monstrabit, quam qui ipsusmet illam frequentat. Sic enim non tantum *pro consuetudine exercitatos sensus habebis ad discretionem boni et mali;* Hebr. 5, 14. sed etiam vitae spiritualis mysteria tibi patebunt, quae *abscondit DEUS a sapientibus et prudentibus, revelavit autem parvulis*. Insuper, ut iterato monui, nihil ad movendos hominum animos

efficacius esse solet, quam eorum, qui praesunt, exemplum. Regulis hisce generalibus speciales quasdam addendas censeo, quibus tum diversam poenitentium indolem, tum naturam a gratia sufficienter discernere liceat.

## §. 626.

**Regulae speciales pro diversa poenitentium indole.**

1. Sculptor, ut pulchram statuam efformet, materiae qualitatem praevie perspectam tenere debet. Idem fere de spirituali directore obtinet. Hinc ut eorum, quos ad christianam perfectionem formaturus est, indolem magis perspiciat, quaedam de potissimis temperamentis subjicio. Ex recepto plerorumque more distinguuntur temperamentum melancholicum, phlegmaticum, sanguineum et cholericum. Et quamvis haec in singulis mixta reperiantur, unum tamen illorum praedominari solet.

2. Itaque homines *melancholici* suapte indole sunt mente defixi, ruminatores, propriae opinionis tenaces, proni ad suspiciones et temeraria judicia, tetrici, taciturni, solitudinis amantes, difficiles ad pandenda cordis secreta, parum grati pro acceptis beneficiis, parci in laudando, lenti ad conferenda in alios obsequia etc. Quare ut spiritualis director vitia huic indoli inhaerentia successive resecet, talibus suavem semper, affabilem, sincerum et amore plenum se praebeat; instet, ut internas turbas et molestias suas ipsi candide fateantur; abstrahat eos a nimia solitudine, eosque ad convenientes labores, praesertim ad opera et obsequia misericordiae adigat.

3. *Phlegmatici* frigidi sunt, difficillime effervescunt, vel siquid boni coeperunt, ab illo mox iterum desistunt; sunt insuper angusti pectoris, proni ad pavores et diffidentias, immunes quidem ab affectuum improborum vehe-

mentia, sed pari modo etiam inertes ad exercitium pietatis. Horum regimen sat multis difficultatibus subjacet, si quidem somnolenti et socordes, quales sunt, loco vix moveri possunt, et naturali suo pondere quantocius iterum opprimuntur. Pessimum est, quod pacem et affectuum suorum malaciam virtuti suae adscribentes ad perfectionem parum sibi deesse opinentur; dum vero acriter reprehenduntur, animum abjiciunt et desperant. Unde suaviter quidem, vi tamen non intermissa urgeri debent, ut aliqua saltem pietatis et mortificationis exercitia in usum deducant. Cave tamen, ne igni, ubi gliscere videtur, multa ligna simul imponas; alias enim modica pietatis scintilla penitus extinguetur. Tales igitur excitandi quidem, et novis identidem stimulis urgendi sunt, ita tamen, ut congenitae illorum inertiae in rebus saltem non graviter praeceptis aliquatenus indulgeas.

4. *Sanguinei* generatim leves et inconstantes, animi relaxationibus, deliciis ac vitae molliori inhiant; faciles sunt ad amorem, ad jungendas amicitias, seque aliorum genio absque difficultate accommodare sciunt; attamen eadem facilitate, ubi amicus recentior se offert, priorem deserunt. Sunt insuper profusi in vanitates, fabulas, res novas; contra a solitudine, ab omni rigore et studio poenitentiae summopere abhorrent. Etiam erga hos confessarius, ne forte in ipso limine terreantur, sese nequaquam austerum vel difficilem, sed potius benignum et amicabilem gerat; virtutem ipsis tamquam plenam solatii et internae tranquillitatis, imo superatis initiis omni exspectatione faciliorem depingat. Illorum attentio saepius ad gaudia patriae coelestis dirigatur. Tum vero suaviter urgeri debent, ut dimissis vanitatibus, amicitiis et periculosis conversationibus mores graviores induant; Ss. Sacramenta pie frequentent, historias Sanctorum, aliosque devotos libros legant; demum

inducantur, ut voluntarie a rebus etiam licitis sibi temperent, opera quaedam poenitentiae obeant etc.

5. *Cholerici* impetuosi sunt, proni ad aggrediendas res magnas; ast magna simul arrogantia et ambitione tenentur; unde se resque suas extollere, propriis inniti viribus, aliis contradicere, reliquorum gesta vituperare, et omnis correptionis impatientes esse solent. Ad hanc indolem feliciter edomandam forti manu magnoque labore opus est; ubi vero disciplina sanctiori semel subacta fuit, ad majores in virtute progressus insigniter adaptatur. Quapropter ut horum interiora rite disponantur, oportet eos frequenter considerare, et continuo ob oculos habere humilitatem et mansuetudinem Salvatoris nostri, ut ex tanto exemplo impatientias suas et animi superbientis pruritum compescere annitantur; si defectum aliquem commiserint, urgendi sunt, ut non sibi irasci, non consternari, non animum despondere, sed semet humiliare, de propriis viribus diffidere, atque ferventibus precibus ad DEUM recurrere assuescant. Exteriora quod attinet, inhibeantur, ne extra casum necessitatis de semet ipsis unquam sermonem ingerant, vel propriam opinionem mordacius propugnent; discant potius dimissa in rebus adiaphoris sua sententia alienae acquiescere, atque in loquendo aeque ac agendo naturae impetum refrenare. Antequam gravius negotium ordiantur, viri prudentis consilium adhibeant; opera poenitentiae iisdem caute, et cum justo semper moderamine concedantur, et generatim directorem meminisse decet, talibus frenum potius, quam calcar necessarium esse. Quodsi reprehendendi videantur, id ne ferventiori zelo fiat, sed mansuete, suaviter et cum debita judicii maturitate, ut moderationem, quae ipsis toties inculcanda venit, ex ipso quoque magistri exemplo discant.

6. Quia tamen haec temperamentorum genera in poe-

nitentibus plerumque mixta inveniuntur, director ita hucusque dictis instet, ut praecipuam semper rationem *qualitatis praedominantis* habeat. Quem in finem saepe secum revolvat, qualem poenitens se hucusque exhibuerit, quidque considerata ipsius indole ad perficiendam ejusdem virtutem prae reliquis opportunum videatur.

## §. 627.

### De discrimine inter motus naturae et gratiae.

1. Nihil frequentius accidit, quam ut natura, ubi a desideriis aperte improbis cohibetur, speciem ipsius honestatis mentiatur, tumque insidias eo periculosiores struat, quo minus attenduntur. Inordinata tenacitas e. g. titulum justae parsimoniae; superbia officium comparandi tuendique famam; ambitio utilitatem ex loco eminentiori redundantem; carnalis affectio pietatem vel necessitudinem praetendit etc. Hinc plane necessarium est, ut director hasce egoismi latebras scite explorare, atque motus naturae ab iis, qui per gratiam excitantur, discernere valeat. Hunc in finem non solum lectu, sed etiam iterata meditatione dignissima sunt, quae de imit. Christi l. 3. c. 54. hanc in rem afferuntur. Quia piissimus hic libellus in omnium manibus versatur, nonnisi pauca huc transfero, sensui magis, quam verbis inhaerens.

2. Itaque omnes quidem bonum appetunt, atque in dictis et factis suis aliquid boni praetendunt; attamen plurimi hac ipsa boni specie falluntur; *natura* enim callida est, et quidquid fingat, in semet ipsam desinit. Hinç deliciis et vanitatibus inhiat; siquid deest, vel molestum accidit, mox conqueritur; curiosis, pulchris, et solatiis externis delectatur; laudes atque honores affectat; gloriatur de nobili loco et ortu generis, atque de turba amicorum;

dominatum et externum splendorem ambit; facile irritatur, atque proprio sensui inhaerens contradictionis impatiens est; demum, quidquid agit, aliquod inde lucrum, vel saltem laudes et humanos favores exspectat. Ast ex opposito *gratia* simpliciter ambulat, omnia in DEUM referens, in quo et finaliter quiescit. Quam ob rem prout carnis desideria, ita et vanam complacentiam omnemque ostentationem odio habet; mentis evagationes restringit; propter DEUM lubens omni creaturae subjicitur; beatius esse arbitratur dare quam accipere; atque DEUM solum ceu praemium et mercedem suam suspiciens ad civitatem supernam suspirat; unde nec de jactura temporalium turbatur, nec plura sibi expetit, quam quae ad consequenda aeterna ex divina dispositione deservire valeant.

3. Jam ex his perspicitur, qua ratione natura et gratia sibi opponantur; haec quippe sursum, illa vero deorsum tendit. Equidem naturam nostram haudquaquam destruere licet; „*nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam.*“ Eph. 5, 29. Similiter et jura nostra contra impios interdum tueri jubemur, ut tum famam tum bona nobis erepta vindicemus; attamen unumquemque cautissimum esse oportet, ne forte sub speciosissimo praetextu affectus mere naturalis, et nonnisi exulceratus sensus lateat.

## §. 628.

De cautelis circa res, quae extraordinariae videntur.

1. Praeter gratias ordinarias omnino etiam *extraordinariae* dantur, quae tamen juxta consuetam DEI providentiam mentibus nonnisi purissimis, atque in virtute diu multumque exercitatis concedi solent. Quia de his alibi dicturus sum, hoc loco tantum cautelas quasdam propono,

ne spiritualis director, dum poenitens eidem res insolitas refert, in errorem inducatur. Maxime confessarium circa feminas cautum esse oportet, quibus praeter rationis debilitatem praecox plerumque phantasia et ingens pruritus inest ea, quae de aliis legerant, in semet ipsis experiendi. Neque deceptrices desunt, quae talia fingunt; tum ut magnam sanctitatis suae opinionem excitent, tum ut confessarii aliorumque simplicitate abutantur. De hac fallendi intentione sat probabiliter constat, si in ejusmodi personis nisus aliquis detegitur ecstases, revelationes et visiones suas, vel siquid aliud jactant, divulgandi, ut vel admirationem vel eleemosynam nanciscantur.

2. Verum etiamsi ex parte poenitentis tale fallendi studium timendum non sit, nunquam tamen permittatur, ut ad gratias extraordinarias anhelet. Haec quippe desideria, praeterquam quod latentem superbiam vel vanam curiositatem redoleant, praestigiis tam phantasiae quam daemonis latissimum campum pandunt, cum valde pronum sit, ut, quae quis vehementer desiderat, sibi etiam imaginetur. Unde omnes potius inducendi sunt, ut humiliter de semet ipsis sentiant, seque etiam gratiarum, quas ordinarias dicimus, prorsus indignos fateantur. „*Cum invitatus fueris ad nuptias, vade, recumbe in novissimo loco.*“ Luc. 14, 10. et seq. Imo ita disponantur, ut in praesenti sua peregrinatione, quae naturae difficilia et insipida videntur, prae omnibus deliciis amplecti malint.

3. Quodsi mentes etiam piae res insolitas, quas sibi obtigisse opinantur, referant, confessarius, quin vel minimum gaudii admirationisve signum edat, respondebit, res hasce esse multis deceptionibus obnoxias, atque veram perfectionem in eo consistere, ut nosmet ipsos abnegantes in omnibus divinam voluntatem exequamur. Quare his omissis humilitati, abnegationi propriae voluntatis, patientiae

aliisque solidis virtutibus studeant. Atque sic hujusmodi poenitentibus opinionem, quasi aliquid singulare experti fuerint, omni modo adimere contendat; „*quoniam si est ex hominibus consilium hoc aut opus, dissolvetur; si vero ex DEO est, non poteritis dissolvere illud.*" Act. 5, 38. et seq.

4. Insuper indicia satis certa exstant, ex quibus saltem *negative* divina charismata a vanis illusionibus discernantur. Scilicet

*a)* si *rem ipsam attendimus*, ceu spurium et falsum habendum est, quidquid veritatibus revelatis, sensui atque decisionibus Ecclesiae, et generatim rectae fidei repugnat. „*Licet Angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*" Gal. 1, 8. Ex eadem ratione DEUM certe auctorem non habet, quidquid sanae rationi, morum honestati, justae obedientiae et publicae saluti adversatur. Similiter et illae revelationes, siquae jactantur, reprobandae sunt, quibus vel mera curiositas pascitur, vel omnino res perniciosae proferuntur, e. g. quando dies novissima instet; numquis sit de numero praedestinatorum etc.

*b)* *Quoad modum* respui merentur, quae alicui ita obtigerunt, ut modus iste prorsus indecens DEOque indignus censeri debeat. Nam „*et spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.*" I. Cor. 14, 32. et seq.

*c)* Denique *ratione effectuum* illos omnes ceu delusos et misere fascinatos aestimare fas est, qui, ubi *extraordinarii* quidpiam sibi obtigisse autumant, exinde inaniter sibi complacent, coram aliis gloriantur, pervicax ingenium et animum omnis correptionis impatientem ostendunt, mystica conventicula frequentant, vel omnino in Ecclesia seditionem movent, *homines*

*seipsos amantes*, *cupidi*, *elati*, et generatim tales, prout Apostolus illos describit. II. Tim. 3, 2. et seq. „*Fructus autem Spiritus est: charitas*, *gaudium*, *pax*, *patientia*, *benignitas*, *bonitas*, *longanimitas*, *mansuetudo*, *fides*, *modestia*, *continentia*, *castitas*.“ Gal. 5, 22. et seq.

# SECTIO II.

## DE VIA PURGATIVA.

### §. 629.

**Observationes praeviae.**

1. Prout jam §. 511. dixi, in stadio, quo ad christianam perfectionem contendere jubemur, triplex via distingui solet, nempe *purgativa, illuminativa* et *unitiva*. Primam, seu viam purgativam *incipientes* tenent. Horum igitur potissimus labor est, ut culpas hucusque admissas per condigna opera poenitentiae eluere, appetitus et affectus virtuti adversantes reprimere, et ipsa vitiorum semina de corde suo eradicare satagant. Idem quippe de animis dicendum est, quod princeps medicorum de impuris corporibus ait, scilicet illa, quo plus nutriantur, eo amplius laedi. Unde qui a prava consuetudine ad vitam meliorem transeunt, antequam solida virtutum alimenta percipiant, prius peccatorum suorum venenum evomere, atque a morbosa animi dispositione sanari debent.

2. Equidem de aliquibus, e. g. de S. Paulo, legimus, eos uno quasi momento a vitiis et concupiscentiis suis sa-

natos fuisse; attamen hoc purgationis genus prorsus extraordinarium est; sanatio vero ordinaria nonnisi paulatim per certos gradus, et multo cum labore peragitur; ast hoc ipso etiam firmior ac certior esse solet. Prout corporum, ita etiam animorum *sanatio subita*, nisi fors miraculum intercesserit, mox iterum disparere et evanescere consuevit. Imo haec eadem purgatio negotium totius vitae constituit, quia vitiorum germina, utcunque repressa et exstincta videantur, semper repullulare pergunt. Hinc dum aliam viam purgativam, aliam vero illuminativam dicimus, id non ita intelligatur, ac si aliquando a repurgandis cordis affectionibus cessare liceat; sed denominatio *a potiori*, sive ex eo desumitur, quod in quovis statu *singulariter* nos occupat.

3. Quapropter duplex error caveri debet; primus illorum est, qui in ipso conversionis principio, dum sensibili suavissimaque gratia recreantur, passiones suas jam pene devictas autumant, et idcirco jamjam volare gestiunt, quamvis pennas nondum habeant. Horum igitur audacia, et siquam de seipsis conceperunt, fiducia reprimenda est, ne forte, dum se improvide periculis exponunt, misere prolabantur. „*Vanum est vobis surgere ante lucem; surgite, postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.*" Ps. 126, 2. Alius error foret, siquis, dum post diuturna exercitia se multis adhuc infirmitatibus subjectum videt, ideo turbari, mente dejici, vel omnino de profectu suo desperare inciperet. Talis ad novam semper erga DEUM fiduciam erigatur, atque certus sit, virtutem in ipsa infirmitate perfici.

4. His praemissis viam, quae purgativa dicitur, breviter perlustremus, ut nobis constet, qualis purgatio requiratur, et quid spiritualis director praeprimis attendere debeat.

## Caput I.

*De necessariis purgationis requisitis.*

### §. 630.

De purgatione a peccatis lethalibus.

1. Prima atque ad consequendam salutem absolute necessaria est purgatio a peccatis lethalibus, a quibus proinde conscientia legitimo dolore, sacramentali confessione et satisfactione expiari debet. Rememoranda hic veniunt, quae §. 599. de confessione generali dixi, quae ad initium conversionis plerumque necessaria, vel certe utilissima esse solet.

2. Ast non solum peccata, sed omnem quoque ad illa *affectum* exstirpari oportet, ne poenitens exemplum uxoris Loth imitetur, quae, etiamsi Sodomis egressa esset, illuc tamen incauta respexit, atque versa est in statuam salis. Et sane, prout S. Franc. Sal. disserit, non desunt poenitentes, qui, quamvis peccato suo renuntient, illius tamen adhuc affectu tenentur, amaritudinem et dolorem sentiunt, quod allia et cepas, quibus in Aegypto vescebantur, comedere jam non liceat, atque sic a peccato abstinent, prout aegroti a melonibus, utpote a quibus ideo dumtaxat sibi temperant, quia medicus mortem minitatus est. Hinc libenter de illis cogitant et loquuntur, illosque beatos ducunt, quibus ejusmodi cupediae non prohibentur. Verum etiamsi talis affectus naturalis potius proclivitas, quam actus humanus sit; quem tamen latere possit, quanto in peccata priora relabendi periculo tales exponantur? Insuper nisi ejusmodi affectus radicitus evellantur, spiritus ad virtutem languidus manet, et in exequendis bonis operibus omnis alacritas et spiritualis sapor deest.

3. Quapropter confessarius nihil intentatum relinquat, ut tales ad vivum constantemque peccati horrorem disponantur, ita ut persuasum illis atque perspectum fiat, peccatum, praecipue mortale, revera omnium malorum summum, imo unicum esse, quod pertimescamus. Huc inprimis lectio attenta vel *meditatio novissimorum* facit. Inducantur igitur, ut saepius horrendum articulum mortis, fragorem secuturi judicii, ac pondus immensum plane instantis aeternitatis perpendant.

4. Quodsi poenitens peccata sincere perhorrescat, illisque affectu suo inhaerere desierit, hoc ipso etiam peccandi occasiones, praesertim propinquiores, atque tum interna tum externa illicia devitabit, fugiens „*peccata quasi a facie colubri.*“ Eccli. 21, 2. Idquod S. Franc. Sal. ab exemplo hominis illustrat, qui aliquem vehementi odio prosequitur, et idcirco non solum illius occursum, sed ipsam quoque ejusdem memoriam vel imaginem, imo ipsius etiam propinquos et familiares aversatur.

## §. 631.

### De ratione affectum erga venialia eliminandi.

1. Verum non tantum graviora, sed etiam peccata venialia resecari oportet; nam etiamsi haec mortem non afferant, vires tamen sensim dissolvunt, et „*qui spernit modica, paulatim decidet.*“ Eccli. 19, 1. Quid demum interest ad naufragium, utrum navis uno fluctu operiatur, an vero aqua guttatim subrepens, dum per incuriam non attenditur, illam impleat et submergat? Equidem in praesenti stadio fieri vix ac ne vix quidem potest, ut quis per longius tempus sine speciali DEI privilegio a venialibus prorsus immunis servetur; attamen unusquisque eatenus saltem sibi caveat, ne *deliberate* talia committat, et praesertim ne voluntarium erga illa *affectum* foveat. §. 119.

Aliud enim est in re parvi momenti semel iterumve per infirmitatem deficere; aliud huic defectui habitualiter inhaerere. Hujusmodi affectiones, quamvis reatum gravem haud involvant, studio tamen perfectionis directe opponuntur, suntque, ut Eccle. 10, 1. dicitur, „*muscae morientes, quae perdunt suavitatem unguenti.*"

2. Quia tamen ad omnes hujus generis defectus *simul* exstirpandos non sufficimus, illa in usum deducantur, quae §. 529. de examine particulari suggessi. Quem in finem expedit, ut spiritualis director poenitenti tum materiam hujus examinis designet, tum etiam iteratam ejusdem rationem sibi reddendam curet. Atque sic pro diversa illius indole nunc eum solabitur, nunc suaviter arguet, nunc novos illi igniculos subjiciet, donec tandem inordinata affectio penitus repressa videatur.

## §. 632.

### De reliquis purgationibus.

1. Dantur insuper res suapte indole indifferentes, quae scilicet tum demum malae fiunt, ubi male usurpantur. Hujusmodi sunt e. g. moderatus corporis ornatus, honestus lusus aliaque, quibus animus suaviter affici et relaxari solet. In his ergo inprimis attendi debet, utrum, quamvis generatim indifferentia sint, in concreto tamen poenitenti periculosa, vel minus honesta censeri debeant. Quod ubi evenit, omnino urgendus erit, ut talibus abstineat. Sin vero, saltem cavendum est, ne animus iisdem agglutinetur. Etiamsi malum non sit res hasce usurpare; malum tamen foret iisdem affectu inordinato adhaerescere. Potius, quantum per regulas prudentiae conceditur, poenitentes suaviter inducantur, ut, quae corpori necessaria sunt, ad justum moderamen redigentes etiam a licitis sibi temperent; idque

tum ad eluendas vitae praeteritae culpas, tum ut hoc saluberrimo exercitio ad pugnas imminentes paratiores fiant.

2. Sunt denique *imperfectiones naturales*, quae quamvis nobis in culpam imputari nequeant, attamen, nisi reprimantur, culpis nos obnoxios reddunt; e. g. naturalis proclivitas ad tristitiam, ad levitatem, ad amorem, ad iram etc. Tales igitur defectus omnino refrenari et corrigi oportet. Idquod nemo impossibile dixerit, cum ab experientia constet, nullam indolem tam pervicacem esse, ut continuata industria, et opitulante gratia divina domari nequeant.

## Caput II.

### *Regulae practicae pro directore.*

### §. 633.

#### De necessariis cautelis.

1. Inprimis spiritualis moderator cautus sit, ne forte tyrones, qui adhucdum in via purgationis subsistunt, in virtute jam plane solidatos et perfectos arbitretur. Homines ad DEUM recens conversi saepe tam ferventes sunt in oratione, tam avidi operum poenitentiae castigandique corporis, tam promti ad obedientiam atque omnimodam sui victoriam, ut eorundem concupiscentiae penitus exstinctae, et vitia, quibus antehac indulserant, radicitus eversa videantur. Attamen cave, ne nimium illis fidas, vel eosdem a suis vulneribus jam ex integro sanatos opineris. Etenim haec illorum alacritas aliud non est, quam effectus suavis ac sensibilis gratiae, qua DEUS novos advenas recreare solet; ast contra *virtus*, seu *internum robur et facilitas bene agendi* nonnisi multo exercitio acquiritur. Firmitas illa, qua mens in appetitus inferiores constantem do-

minatum exserit, non in momento, sed successive, et post multas demum pugnas, tentationes partasque victorias acquiri solet. Sic nimirum stimuli inordinati debilitantur, ut jam rariorem minoremque vim habeant voluntatem ab arrepto perfectionis studio abstrahendi. Et haec demum virtus, utique adjuvante gratia divina, in quovis deinde statu sive consolationis sive ariditatis firma permanet, *sciens et humiliari, et abundare, et satiari et esurire; omnia quippe possumus in eo, qui nos confortat.* Philipp. 4, 12. Hinc ejusmodi incipientes, nisi prudens director illis invigilet, mox iterum tepescere et languere solent. Novellae plantae sunt, recens plantatae, quae dum rore perfunduntur, virent quidem et sat firmae videntur; ast quamprimum sol oritur, flaccescunt, quia nondum radices habent.

2. Vicissim vero interdum accidit, ut *proficientes* atque *ad gradum jam sublimiorem evecti* tentationes multo vehementiores experiantur, quam in ipso tyrocinio. Ast horum pugnae plerumque non ex defectu solidae firmitatis, sed potius ex singulari DEI dispositione descendunt, qui in ardenti hoc camino eorundem virtutem ab omni scoria expurgare, eosque ad percipienda majora charismata aptos reddere consuevit. In his ergo ingens passionum tumultus, ac interna repugnantia, imo et horror, quo erga pia opera afficiuntur, non ex virtutis debilitate, sed aliunde oriuntur. Hinc etiam hac tempestate cessante, et discussis nebulis, prior illorum virtus mox iterum aucta claritate emicat. Caveat ergo director, ne de talibus sinistram fors opinionem concipiat, eosve ad stationem incipientium releget.

3. Pari modo cavendum est, ne incipientes, dum ab initio fervent, in obeundis operibus poenitentiae mortificationisque externae nimii vel imprudentes sint. Hinc enim, prout jam alibi monui, fieri solet, ut vel vires corpsori

praemature exhauriantur, vel ut asellus, cum lassatus fuerit, deverticula quaerat. Quare urgendi sunt, ne quid agant, nisi petito prius consilio directoris; et director ipse in concedendis hujus generis operibus prudentem rationem habeat tum valetudinis et firmitatis ipsorum, tum etiam conditionis externae; non enim fert omnis omnia tellus. Eo magis vero in mortificatione interna exerceantur, in humilitate nempe, patientia, mansuetudine, conformatione ad voluntatem divinam etc.; in his enim nullus plane excessus timendus est; dum vicissim castigationes externae, quamvis generatim necessariae sint, plus tamen aestimationis non merentur, nisi quatenus ad virtutes internas conducunt.

### §. 634.

De ratione poenitentes ad studium perfectionis accendendi.

1. Nullus in virtute progressus exspectari potest, nisi firmo et efficaci ejusdem desiderio teneamur. §. 516. Hinc ad primas directoris partes pertinet, ut poenitentes suos ad vivum proficiendi desiderium accendat. Et quidem in *via purgativa* instandum est, ut animae dirigendae *sincerum peccati horrorem* concipiant, utque ab infirmitatibus suis serio conatu sanari *velint*. Qua ratione poenitentes ad hanc peccatorum, praesertim lethalium detestationem disponi queant, tum §. 595. tum paulo ante innui. Huc quoque omnes illae rationes faciunt, quas §.§. 516. et seq. adduxi, quibus nempe omnes ad continuatum perfectionis studium provocamur.

2. Ast homines saeculares hoc perfectionis studium plerumque ceu rem nimis arduam, solis monachis convenientem, sibimet vero nullatenus attemperatam considerant. Hinc terrentur, ubi confessarius eosdem diserte ad perfectionem excitat, imo ipsum de imprudentia accusant, et

rident potius, quam ut sequantur. Hos igitur ita promoveri decet, ut vix sentiant, et quin ipsius perfectionis mentio ingeratur. Scilicet dum sua nos fiducia prosequuntur, eosdem a vitiis, quibus laborant, atque a naevis suis suavi importunitate depurgare, simulque ad pia quadam exercitia inducere studeamus, e. g. ad piam lectionem et quotidianum examen conscientiae, ad copiosiores preces, ad cultum B. V.; praesertim ad frequentanda Sacramenta etc. Hac enim methodo sensim aliquem pietatis saporem imbibent, ut experiantur, quam suavis sit Dominus, tumque absque reluctantia ad altiora urgeri poterunt. „*Hoc enim distare inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales deliciae, cum non habentur, grave in se desiderium accendunt; cum vero habitae eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciae, cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio, tantoque amplius a comedente esuriuntur, quanto ab esuriente amplius comeduntur.*“ S. Greg. hom. 36. in Evang.

3. Nihil spiritualem profectum magis retardat, quam diffidentia, qua quis omni proficiendi spe destituitur. Hinc praeterquam quod poenitens ad firmissimam fiduciam erga DEUM accendi debeat, *jugum Christi* eidem semper ceu *suave*, et *onus ceu leve* proponatur. Absit ergo, ut pietatem quasi tetricam, omnisque gaudii expertem cogitet, quippe quae „*ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae.*“ I. Tim. 4, 8. Vid. §.§. 97. et seq. Simul poenitenti nihil injungatur, quod vel viribus vel statui ipsius externo conveniens non sit; prout corpus nostrum non per saltum, sed successive ac sensim sine sensu grandescit, et insuper non iisdem semper alimentis indiget, ita et animus. „*Et ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi*

*carnalibus. Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.*" I. Cor. 3, 1. et seq. Hinc etiam S. Theresia fatetur, se, cum ab initio conversionis suae directorem piissimum quidem, attamen nonnihil indiscretum et imprudentem nacta fuisset, alium fructum haud retulisse, quam animi abjectionem, cum nempe ad ea, quae ille urgebat, se plane imparem videret. In ipsius vita c. 23.

4. Non pauci ideo potissimum a consilio vitae perfectioris abstinent, quia hominum profanorum oblocutiones et dicteria reformidant. Timent scilicet, ne mundus eos superstitionis, hypocrisis vel pietismi insimulet, vel ne ideo ad DEUM se convertisse videantur, quia a mundo repulsam tulerint, et quae sunt alia hujus generis terriculamenta, quibus animae debiles detinentur. Hisce igitur inculcetur, quam vana sint judicia et verba hominum; quam frustraneus labor, illorum se criminationibus velle subducere, quia, quidquid egerimus, semper, quod carpant, sint habituri; quanto satius DEO atque probis placere, quam improbis; quam sit horrendum cum hoc mundo damnari; quid denique impii obtrectatores aliquando dicturi sint in die judicii „*poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii! Nos insensati, vitam illorum aestimabamus insaniam! Ecce quomodo computati sunt inter filios DEI, et inter Sanctos sors illorum est etc.*" Sap. 5, 2. et seq. Praeclare iterum S. Franc. Sal. Philoth. P. IV. c. 1.

## §. 635.

### De modo agendi cum tepescentibus.

1. Nimis frequenter accidit, ut vota et proposita ardentissima sensim sine sensu tepescant. Potissima hujus

teporis indicia sunt: *a)* Si poenitens exercitia prius usitata, e. g. piam lectionem, orationem, examen conscientiae, usum Sacramentorum etc. ex levi ratione vel omittat, vel decurtet, vel nonnisi perfunctorie obeat; *b)* si divinas inspirationes et remorsus conscientiae parum curet, emendationem suam in aliud semper aliudque tempus differens; *c)* si, qui antehac solitudinis amans fuerat, jam in res exteriores effunditur, consolationem suam inter vanas confabulationes quaerens; sique omissis operibus poenitentiae corpori et sensibus liberalius indulget, pronus ad carpenda gesta aliorum, ad verba otiosa etc.; *d)* si demum in confessione pristina ejusdem sinceritas desideratur, qua directori suo quoscunque animi motus explicare, seque ipsius monitis et correctionibus submittere solebat. Simul confessarius in ejusmodi poenitente magnam animi reluctantiam et affectuum perturbationem observabit.

2. Quodsi ergo confessarius haec vel aliqua saltem horum signorum detegat, absit, ut miserum poenitentem verbis fors durioribus dimittat. Tales enim jam alias animo renitente ad confessionem accedunt; dum igitur durius increpantur, penitus deterreri solent. Potius infirmum pia cum commiseratione suscipere, et quidquid charitas suggerit, tentare juvat, ut *linum fumigans* denuo accendatur. Hinc amice hortandus atque rogandus erit, ut recogitet, quam periculosum sit, primam charitatem reliquisse, quamque horrenda illos comminatio feriat, qui neque frigidi neque calidi, sed tepidi sunt. Apoc. 2, 4., 3, 16.; imo non dari statum funestiorem, quam illorum, „*qui semel illuminati donum coeleste gustaverunt, et participes facti sunt Spiritus sancti, et rursus prolapsi sunt.*" Hebr. 6, 4. et seq. Cf. §.§. 140. et 233.

3. Ubi poenitens his et similibus motivis de torpore suo excitatus fuit, instandum est, ut hujus tepiditatis

*fontes* obstruat, quales plerumque sunt conversatio cum frigidis, lectio librorum spiritu mundano turgentium, remissior vivendi ratio etc. Tum vero eidem animus addatur, ut exercitia priora ferventius repetat, ingeminando illi verba S. Bernardi: „*Exsurgamus, obsecro, quicunque hujusmodi sumus; resarciamus animam, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem.*" Serm. 6. de Ascens.

1. Ast cave, ne cum hoc animi tepore *ariditatem sensuum* confundas. Qui enim, etiamsi omni devotionis sensu destituantur, piis tamen exercitiis inhaerere, atque inter quascunque tenebras iter suum prosequi contendunt, non tepidi, sed afflicti sunt, et proinde, ne forte deficiant in via, solatio et novo identidem robore indigent.

5. Sunt etiam, qui, quamvis se quotidie ad altiora urgeant, semper tamen pavent, eoquod nullum sibi progressum facere, sed potius regredi videantur. Quodsi tales exinde non dejecti, sed solum humiles evadunt, et firma in DEUM fiducia subnixi non intermisso studio virtuti inhiant; nihil timendum est, utpote qui divinorum charismatum prae reliquis capaces censeri debent. Ad erigendum illorum animum id ipsis inculcetur, quod S. Bern. ait: „*Divina solet pietas ordinare, ut quanto quis plus profecerit, minus se reputet profecisse.*" Si vero poenitens ex perspecta sua infirmitate inordinate tristari, atque omnem despondere animum coeperit, director pro viribus instare debet, ut illum periculosissimo hoc statu mature expediat; etenim spirituali profectui nihil magis obstat, quam abjectio animi, neque fieri potest, ut quis illuc serio conetur, quo se perventurum esse desperat. Imo tristissima eorum exempla exstant, qui prae mera desperatione repudiato virtutitis studio concupiscentiis suis omnes demum habenas laxarunt. Unde nihil intentatum relinquatur,

ut mentes adeo dejectae miseriam suam et defectus quotidianos sincere quidem agnoscant, simul vero invictam erga DEUM fiduciam concipiant, utpote ad cujus benignissima consilia et illud refertur, ut, ubi abundavit peccatum, superabundet et gratia, quique ignobilia mundi et contemtibilia eligit, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Rom. 5, 20., I. Cor. 1, 28.

# SECTIO III.

## DE VIA ILLUMINATIVA ET UNITIVA.

### §. 636.

Descriptio utriusque viae.

1. In via purgativa, prout paulo ante dixi, mens praeprimis intenta est, ut contractas peccatorum maculas pro viribus abstergat, habitus vitiosos exstirpet, atque tumultuantes naturae depravatae affectus spiritui subjugare conetur. Ad classem *proficientium*, qui in via *illuminativa* consistunt, referri solent, qui passionum suarum impetum jam aliquatenus fregerunt, atque a culpis saltem lethalibus haud difficulter abstinentes virtutum tam theologicarum, quam moralium exercitio viriliter insistunt, etiamsi ob appetitus nondum satis cicuratos peccatis venialibus saepius adhuc succumbant. Denique *perfecti* dicuntur, qui passionibus feliciter devictis non solum a peccatis gravibus, sed etiam levibus, saltem aliquo modo deliberatis absque difficultate abstinent, atque ad exercendas virtutes multum facilitatis et alacritatis afferunt. Ita circiter S. Thom. triplicem hunc statum delineat. 2. 2. Q. 24. art. 9. in corp.

2. Quia tamen in hac vita *indefessum proficiendi studium pro ipsa perfectione reputatur*, in praesenti tractatu utramque harum viarum, illuminativam nempe et

unitivam jungere placuit. Quam ob rem sequentia praemittenda censeo:

*a)* Nunquam non memores simus, fundamentum omnis virtutis esse *humilitatem una cum firma erga DEUM fiducia.* §.§. 514. et seq. Quo magis ergo aedificium in altum exsurgit, eo magis quoque haec basis solidari debet, ne, *ubi descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, fiat ruina illius magna.*

*b)* Non datur spiritualis profectus absque seria proficiendi voluntate. „*Secundum propositum nostrum cursus profectus nostri erit.*" Hoc itaque desiderium in piis mentibus semper nutriri et magis accendi oportet. „*Si perfectionis aliquid attigisti, dic cum Apostolo: Non quod jam apprehenderim aut perfectus sim; sequor autem, si forte comprehendam, in quo comprehensus sum etc.*" S. Bern. „*Nam ubi tibi placuisti, ibi remansisti. Si autem dixeris: sufficit, periisti.*" S. Aug. Cf. §.§. 616. et seq.

*c)* Demum plurimum interest, ne poenitens directorem suum quidquam eorum, quae vel agit vel patitur, celet. §. 518. et seq. Ad hanc ergo confidentiam spirituales alumni saepe hortandi sunt. Simul vero director spiritualis eas sibi dotes comparare studeat, ut plenam sibi poenitentis fiduciam mereatur. Vid. §.§. 620. et seq.

3. Nunc paucis indigitare juvat, qua ratione spiritualis moderator animas ad charitatem, quae est ipsa perfectio, evehere possit. Hunc in finem, ne totam Ethicam de novo percurram, de virtutibus, quae cardinales dicuntur, tum vero de theologicis quaedam subjicio.

## Caput I.

### *De virtutibus cardinalibus.*

### §. 637.

**Notio earundem.**

1. Virtutes cardinales quasi cardines sunt, quibus omnis morum honestas niti et moveri debeat. Tales quatuor recensentur juxta illud Sap. 8, 7.: „*Sapientia sobrietatem docet et prudentiam et justitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.*“ Scholae illas *prudentiam*, *justitiam*, *fortitudinem* et *temperantiam* nuncupant.

2. Atque hae virtutes non solum in se spectatae praeclarae prorsus et summi momenti sunt, sed insuper, prout modo dixi, cardines et conditiones constituunt, quibus nulla virtus carere potest. Hinc etiam nemo mirabitur, quod illas in Ascesi singillatim exhibendas censuerim.

3. Ast superfluum foret, etiam reliquas virtutes morales denuo percensere; quia tum ex Ethica, tum ex Ascesi generali sufficienter constat, qua ratione unaquaeque illarum poenitentibus instillari debeat. Id unum notare juvat, in omni virtute certos perfectionis gradus dari, quorum tres potissimum ab invicem discerni solent, scilicet:

*a)* *Gradus infimus*, siquis ad extremos quasi virtutis limites subsistit, et ea saltem observat, quae sine aperto peccato negligi non possunt.

*b)* *Gradus summus*, qui etiam *heroicus* dicitur, dum scilicet virtus aliqua ideam Evangelii, quantum in hac vita fieri potest, plene assequitur. Cujus perfectionis exempla sunt virtutes Sanctorum, quae ab Ecclesia tamquam heroicae suspiciuntur.

*c)* *Gradus intermedius*, qui ex dictis facile intelligitur,

et sat amplam latitudinem admittit. Pro exemplo sit humilitas. Homo simpliciter humilis ab omnibus saltem abstinet, quae huic virtuti adversantur; perfectior, dum se ab aliis contemtum videt, animo imperturbato consiliis divinae providentiae acquiescit, cogitans, se aliorum aestimatione revera indignum esse; perfecta tandem humilitas de opprobriis et ignominiis sibi illatis etiam gaudet, hasque, etiamsi sensus inferior multum affligatur, quibuscunque honoribus praefert.

4. Hos ergo gradus spiritualis director probe observet, tum ut moralem poenitentis statum facilius dijudicare possit, tum etiam ne illos, quibus nondum satis virium est, mox et quasi per saltum ad virtutis cujusdam culmen urgere tentet. „*Justorum autem semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem.*" Prov. 4, 18.

## §. 638.

### De prudentia.

1. *Prudentia* dicitur virtus intellectus, monstrans, quid in omni negotio vel actu singulari ad rite operandum fieri aut omitti debeat. Hominis quippe prudentis est scire, quid ad finem sibi praefixum feliciter assequendum pensatis omnibus circumstantiis agendum omittendumve sit, et quae tum subsidia eligi, tum impedimenta removeri debeant. Hunc in finem praeter rerum plurimarum notitiam multa quoque in agendo providentia, magna demum animi perspicacia et docilitate opus est. Nam „*qui sapiens est, audit consilia.*" Prov. 12, 15.

2. Aliam *naturalem*, aliam vero *supernaturalem* dicunt. Illa ex naturali rationis nostrae perspicacia; haec vero ex lumine fidei, vel etiam ex singulari Spiritus sancti dono nascitur. Ex quibus patet, supernaturalem prudentiam,

etiamsi huic saeculo stulta videatur, mere naturali non minus excelsiorem esse, quam coelum terra. Maxime tamen hominem christianum a *prudentia carnis* alienum esse oportet, quae scilicet nonnisi terrena sapit, vel omnino fines turpes prosequitur, vel etiam, licet finis per se bonus videatur, inhonesta tamen media adhibet. „*Nam prudentia carnis mors est; prudentia autem spiritus vita et pax. Quoniam sapientia carnis inimica est DEO; legi enim DEI non est subjecta; nec enim potest.*“ Rom. 8, 6. et seq.

3. Vera autem prudentia, praesertim supernaturalis a Ss. Patribus merito omnium virtutum *moderatrix* dicitur. „*Discretio enim*,“ prout S. Bernardus illam vocat, „*omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, et decorem etiam et perpetuitatem. Est ergo discretio non tam virtus, quam quaedam moderatrix et auriga virtutum. Tolle hanc, et virtus vitium erit.*“ In Cant. serm. 49. Alius vero vir egregius prudentiam ceterarum virtutum normam, mentis oculum et artem vivendi vocat. Scilicet quamvis charitas nostra erga DEUM nunquam nimia esse possit, virtutes tamen singulares defectum inter et excessum semper medium tenere debent. Unde tritum illud: „*Virtus in medio. Quare in omni, quae suscipitur, actione antecedere prudentia debet. Nam hac sublata nihil cujusvis generis est, quod, licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat.*“ S. Basil.

## §. 639.

### Regulae practicae.

1. Quod ipsam praxin concernit, spiritualis director omni modo provideat, ne animae curae suae commissae praecipitanter aut inconsiderate agant, neve praejudiciis

vel caeco affectu se abripi patiantur. Potius praesertim in rebus alicujus momenti, e. g. in concipiendis votis, in castigatione corporis etc. nihil decernant, quin prius consilium probi atque prudentis arbitri exquisierint. „*Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis.*" Eccli. 32, 24.

2. Tum vero poenitentibus saepe illud Tobiae inculcabit: „*Omni tempore benedic DEUM, et pete ab eo, ut vias tuas dirigat.*" Ibid. 4, 20. Praesertim illam prudentiam a DEO ferventer efflagitet, quae ex lumine fidei atque ex speciali Spiritus sancti illustratione descendit. Qui jussit, *ut simus prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae*, ipse coelestem hanc prudentiam etiam concedet, si constanter illam petierimus, quippe „*qui dat omnibus affluenter, et non improperat.*" Jac. 1, 5.

3. Simul data quavis occasione instruantur, quo modo res omnes et eventus hujus mundi pensari debeant, ut scilicet non ex opinione vulgi, non ex perspicacia solius humanae rationis, sed nonnisi *ex statera sanctuarii* aestimentur. Ipsis gentilium philosophis notissimum fuit axioma: *In omnibus respice finem.* Et illi quidem utpote tantis tenebris circumfusi nescierunt, quis demum ultimus finis sit, quem nos in omnibus prae oculis habere oporteat. Unde prout reliqua praeclare dicta, ita et hoc jactare quidem, non tamen exequi potuerunt. At nos, quibus illuxit *sol oriens ex alto ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, nos, inquam, optime perspectum tenemus, quo omnes conatus nostri collineari debeant, quidque post brevissimam vitam in aeternitate nobis immineat. Hanc ergo aeternitatem in omnibus menti nostrae praesentem habeamus, ut nihil nobis appetendum videatur, nisi quod ad felicem aeternitatem conducat, neque aliquid formidandum, nisi quod ab illa nos retrahat.

4. Infimus prudentiae sic descriptae gradus est, ut unusquisque a prudentia mere carnali semet insontem servet. Haec quippe, quae solis terrenis inhiat, atque a filiis hujus saeculi tanto studio discitur, tanta calliditate exercetur, cum Evangelio conciliari plane non potest. Qui vero vitam perfectiorem meditatur, non solum ab hisce fallaciis sibi cavere, sed etiam omnia tam bona quam mala hujus temporis ex lance solius aeternae veritatis pensitare debet, ut adeo lucra temporalia, quatenus salutem animae pessumdant, ut detrimenta, aerumnas vero et persecutiones, praesertim pro justitia exantlatas, ut praecipua divinae bonitatis pignora arbitretur, „*omne gaudium existimans, cum in varias tentationes inciderit, sciens, quod probatio patientiam operatur, patientia autem opus perfectum habet.*" Jac. 1, 2. et seq. Summa denique prudentia resplendet, qui non acquiescens carni et sanguini, sed divinae providentiae innixus in omnibus ductum legis evangelicae sequitur. Talis id unum indagabit, quid Christus, quidque viri apostolici in iisdem circumstantiis egerint, quidve facturi essent, si in his ipsis rerum temporumque adjunctis versarentur. Hisce vestigiis insistens etiam contra spem sperabit, „*confidens hoc ipsum, quia qui coepit opus bonum, perficiet usque in diem Christi JESU.*" Philipp. 1, 6. Ut unicum exemplum adducam, hoc prudentiae coelestis culmen praesertim S. Vincentius a Paulo conscenderat, vir vere prudens, et simplex simul sicut columba. Ast prout S. Greg. ait, „*haec justorum sapientia deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Quid namque stultius videtur mundo, quam mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas injuriis contumelias reddere, pro maledicentibus orare etc.?*" Verumtamen „*uniuscujusque opus manifestum erit; dies enim Domini decla-*

*rabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.*" I. Cor. 3, 13.

## §. 640.

### De justitia.

1. Sub *justitia*, qua virtute cardinali, constantem et efficacem voluntatem intelligimus cuique tribuendi, quod suum est. Haec, ut alibi notavi, in *legalem*, *distributivam* et *commutativam* dispescitur. Prima legibus legitimaeque potestati subjectos nos tenet, cum non sit potestas, nisi a DEO; altera eos, qui praesunt, adstringit, ut nonnisi justa praecipientes, onera atque commoda reipublicae rite distribuant, et unumquemque subditorum in suo continere officio anuitantur; tertia demum inter privatos obtinet, quorum alter alterius jura sincere revereri jubetur. Ex quibus facile perspicitur, quantum hujus virtutis momentum sit. Ne quid de negotiis privatis dicam, ipsa regna, ut S. Aug. inquit, remota justitia aliud non forent, nisi magna latrocinia.

2. Verum etiam hujus virtutis studium ad gradum sublimiorem elevari potest; dum scilicet consilium de bono meliori attendentes in causis etiam dubiis fortuita aliorum jura reveremur, de proprio autem jure, quantum fieri potest, cedimus, et exactiones nostras dulcore misericordiae temperamus ad exemplum Zachaei, qui, siquem defraudasset, ad reddendum quadruplum, atque ad dimidium bonorum inter pauperes elargiendum paratus fuit. Luc. 19, 8.

3. Ast quamvis officium justitiae gravissimum sit, innumerae tamen ejusdem transgressiones dantur, tum quoad res externas tum quoad famam et reliquas bonorum species. Et quod pessimum, pauci de hisce laesionibus in confessionali, prout oporteret, se accusant, et pauciores adhuc illas resarcire satagunt. Inter eos ipsos, qui pietatem pro-

fitentur, haec peccata rara non sunt, non quidem transgressiones apertae, attamen palliatae, et diversis praetextibus vestitae. Sic, ne quid de detractionibus dicam, personae ceteroquin piae saepius labores domesticorum aeque ac exterorum summa cum tenacitate compensant; conventiones cum famulis vel colonis initas pro arbitrio variant, ac nova illis onera imponunt; iis, qui res suas vendere coguntur, injustum pretium obtrudunt; a pauperculis, quibus gratis succurrendum foret, census petunt; restitutionem, quam saltem ex parte vel successu temporis praestare possent, procrastinant vel penitus omittunt etc.

4. Ast multo frequentius ratio aequitatis et consilium de bono meliori negliguntur. Plerique rigido juri tam tenaciter inhaerent, ac si reliquae rationes nullam omnino attentionem mererentur. Dum nos Evangelium ad piam injuriarum condonationem, atque ad mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem hortatur, tales nihil sibl timendum esse autumant, dummodo nemini injuriam intulerint.

5. Quapropter spiritualis director mentes illorum, quorum curam gerit, generatim omni inordinata ad res terrenas adhaesione expedire studeat. Saepius bonorum temporalium caducitatem et severam rationem proponat, quam aeterno judici sint reddituri. „*Quae autem parasti, cujus erunt?*" Luc. 12, 21. Praesertim suaviter instet, ut, qui multis hujus saeculi negotiis implicantur, circa suam agendi lucrandique rationem conscientiam exacte discutiant, vel sicubi deficere videntur, eosdem attentos reddat. Urgeantur, ut in rebus etiam obviis et minoris momenti ab omni defraudatione et injustitia sollicite sibi caveant. Ubi de officio restituendi agitur, meminerlt confessarius, se quidem, ut Aquinas ait, vicarium DEI, non vero vicarium hominis esse, cui restitutio debetur, seque idcirco illius

juribus nihil derogare posse. Neque acquiescat, si tales, qui *restituere possent*, preces, eleemosynas aliave pia opera promittant. Exactor enim plerumque non preces, sed res suas repetere censetur.

6. Ut vero confessarius poenitentes etiam ad piam cedendi facilitatem, et quantum per reliqua officia conceditur, ad sequenda majoris perfectionis consilia disponat, saepe illos ad divinam liberalitatem attentos reddat, quippe quae nostra generositate certe non vincitur, sed *eadem mensura, qua mensi fuerimus, remetietur nobis.* Luc. 6, 38. *„Qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum praestabit, et multiplicabit semen vestrum, et augebit incrementa frugum justitiae vestrae, ut in omnibus locupletati abundetis etc.“* II. Cor. 9, 10.

7. Culmen denique, ad quod in praesenti causa virtus nostra eluctari queat, divinus Redemtor sequentibus describit, supposito nempe, rationes altiores tantae facilitati haud obstare: *„Ego autem dico vobis, non resistere malo; sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebe illi et alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo et alia duo. Qui petit a te, da ei; et volenti mutuari a te, ne avertaris. Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est.“* Matth. 5, 39. et seq.

## §. 641.

### De fortitudine.

1. *Fortitudo* qua virtus cardinalis non illud animi robur designat, quo generatim difficultates *ordinarias*, et virtuti quasi connatas superamus, sed majus aliquid innuit. Est scilicet illa animi firmitas, qua quis inter molestias

etiam solito majores mentem semper erectam tenet. Vir fortis non quidem temere malis se ingerit, attamen imminentia invicto animo perfert; non illum bonorum jactura, non corporis dolores, non quaecunque aliorum injuriae subigunt; non se minis vel blanditiis a recto deterreri patitur, non denique ipsa mors illum exterret. „*In omnibus exhibeamus nosmet ipsos sicut DEI ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis - - - per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, quasi morientes, et ecce vivimus etc.*“ II. Cor. 6, 4. et seq.

2. Porro duplex fortitudinis officium est; primum idque praecipuum labores, molestias ac pericula *fortiter sustinere* docet, ut illis non dejiciamur; alterum *res magnas aggredi*, cum oportet, neque animum despondere, etiamsi bene coeptis plurima impedimenta obsistant. Priorem fors fortitudinem *passivam*, alteram vero *activam* vocare licet, quamvis etiam in illa mens haudquaquam passive se habeat, sed vires suas potius insigniter exserat. Imo multo difficilius est calamitatem et sortem peracerbam animo infracto perpeti, quam magna patrare. Hinc etiam in praesenti de illa potissimum fortitudinis specie dicam, quae inter adversitates exercetur, tum quia hujus frequentissimus usus occurrit, tum etiam quia, qui hanc didicerit, alteram facile intelliget.

3. Itaque fortitudo, quam passivam dixi, praecipue *patientiam et mansuetudinem* complectitur; *patientiam* nempe, cujus est mitigare atque lenire dolorem et tristitiam, quibus ex praesenti aliqua aerumna afficimur; *mansuetudinem* vero, quae medias inter injurias iram et vindictam cohibet.

4. Ast etiam hae virtutes diversos iterum gradus ad-

mittunt. Primus gradus dicitur, siquis tristitiam aut iram ita moderatur, ut se ad nullum actum vel motum, qui vel indecens vel divinae legi contrarius foret, abripi permittat. Gradum sublimiorem occupat, qui multa exercitatione eo pervenit, ut ipsum quoque amarum sensum facile sopiat. Perfecti demum censentur, quibus afflictiones et injuriae, quas experiuntur, materiam gaudendi internaeque exultationis constituunt. Hinc etiam *superabundant gaudio in omni tribulatione*, sibique in *infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus et angustiis pro Christo placent.* II. Cor. 7, 4., ibid. 12, 10.

5. Quamvis vero patientia et mansuetudo veram animi fortitudinem praeprimis exhibeant; haec tamen per imperium, quo reliquos naturae depravatae stimulos coërcet, non minora sui specimina edit. „*Quid enim fortius, quam omnes animi motus rationi subjicere, omnia carnis desideria spiritus virtute frenare, proprias voluntates abjicere, contemtis visibilibus ea, quae non videntur, amare?*“ S. Greg. M. Scilicet, ut Prov. 16, 32. dicitur, „*melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.*“

## §. 642.

### Monita practica.

1. Pro animarum directione inprimis cautelas aliquas praemitto:

*a)* Caveatur scilicet, ne poenitentes in virtute jam aliquatenus exercitati de propriis suis viribus vel reportatis hucusque victoriis praesumant. Quoscunque in virtute progressus feceris, absit tamen, ut vel parum propriae fortitudini innitaris, sed semper illud Psalmistae tibi usurpa: „*Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu, et propter nomen tuum deduces*

*me, et enutries me.*" Ps. 30, 4. Hinc omnis quoque in adeundis periculis audacia vel temeritas eliminetur, ne et nobis contingat, quod I. Mach. 5, 67. refertur: *„In illa die reciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in proelium.*"

*b)* Pari modo cavendum est, ne poenitentes vanis desideriis detineantur, dum e. g. pro Christo sanguinem profundere, vel res, quas de Sanctis legerunt, extraordinarias imitari cupiunt, quamvis pugnis levibus et quotidianis succumbere soleant. Ergo monendi sunt, ut, priusquam ad sublimiora anhelent, in iis se fortes ostendant, quae consueta et obvia sunt, quaeque omni die recurrunt.

2. Inter subsidia generalia, quibus animo inter quascunque adversitates invictum robur inspiratur, eminent firma fiducia et filialis charitas erga DEUM. Etenim fiducia inquit: *„In DEO sperari, non timebo. quid faciat mihi homo. Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo?*", Ps. 55. et 26. *„Dilectio vero fortis est, ut mors. Aquae multae non potuerunt extingere charitatem, nec flumina obruent illam.*" Cant. 8, 6. Et profecto si amor etiam terrester, seu qui in res caducas fertur, homines ad tanta fortitudinis exempla succendit, quid demum charitas divina efficiet, ubi diffusa fuerit per Spiritum sanctum in cordibus nostris? *„Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos separare a charitate DEI, quae est in Christo J. D. N.*" Rom. 8, 38. et seq.

3. Tum praecipue ex frequenti memoria divini illius exempli roboramur, quod Christus nobis reliquit, *„aspicientes in auctorem fidei et consummatorem JESUM, qui talem sustinuit a peccatoribus adversum semet ipsum*

*contradictionem.*" Hebr. 12, 2. et seq. Prout pictores exemplaria, quae imitantur, semper sibi obversantia habent, ita et nos Redemtorem nostrum continuo nobis praesentem habeamus, ut sequamur vestigia ejus. Cumque aliquid adversi nobis acciderit, saepe mentem nostram interpellemus: „*Quae sunt haec, quae ego sustineo, si cum illis comparantur, quae Christus pertulit? Et quis ille fuit, quis ego?*"

4. Pari modo graviter afflicti identidem ad coelum suspiciant, ubi iisdem reposita est *corona justitiae.* Si homines mundani ob vanam gloriolam, atque studio felicitatis mere umbratilis, imo reapse in summam suam perniciem algent sudantque; quid nos demum agere oportet, quibus in *sublimitate aeternum gloriae pondus* promittitur? Cf. §. 268.

5. Denique multum expedit, ut mala imminentia praevidere, nosque ad ea fortiter subeunda praeparare studeamus. „*Jacula quippe praevisa minus feriunt, et nos tolerabilius mundi mala suscipimus, si contra haec per praescientiae clypeum munimur.*" S. Greg. hom. 35. in Evang. Idem alio in loco ait: „*Qui improvidus ab adversitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur. Solerter ergo animus ante actionis suae primordia cuncta debet adversa meditari, ut semper haec cogitans, semper contra haec thorace patientiae munitus, et quidquid accesserit, providus superet, et quidquid non accesserit, lucrum putet.*" Mor. l. 5. c. 20. Finge igitur tibi jam advenisse, quidquid sinistri accidere potest, atque corde ad DEUM elevato te ad perferenda, quaecunque illi placuerint, dispone.

**Ast valde cavendum est, ne mala vel injurias, quibus jamjam affligimur, multum ponderemus rumiuemusve. Potius tem-**

pore gravis afflictionis mentem alio divertere et imaginationi omnem locum praecludere expedit.

6. Generatim vero director graviter afflictis se semper pium et benignum exhibeat, ac eorundem sorti sincere compatiatur; permittat insuper, ut aerumnas suas ipsi exponant; tum vero, ubi cor constrictum hac ipsa expositione alleviatum fuerit, rationem et momenta proponat, quae captui et indigentiis singulorum maxime adaptata videntur. Imo illos non tantum solari, sed ita simul disponere studeat, ut, quae mutari nequeunt, promte et si minus hilari, alacri saltem animo subeant.

### §. 643.

#### De temperantia.

1. Prout fortitudo timorem abigit, quo natura occurrentes molestias horret; ita vicissim temperantia illam, utpote deliciis inhiantem, refrenat, atque justos intra limites coërcet. Hinc juxta S. Aug. temperantia est „*affectio coërcens et cohibens appetitum ab his, quae turpiter appetuntur.*“ De mor. Eccle. Quatenus tamen collegio virtutum cardinalium accensetur, temperantia iis potissimum voluptatibus imperat, quae ex gustu et tactu percipiuntur.

2. Infimum hujus virtutis gradum tenent, qui ab illicitis abstinentes voluptatibus, etiam licitis ita frui consueverunt, ut rationes altiores saltem non excludant. Perfectiores vero in iis, quae ad corpus spectant, solam fere necessitatem pro mensura habent. Unde voluptates etiam licitas, quas tamen nulla necessitas commendat, voluntarie sibi interdicunt, vel illas, quoties per rationes altiores adiguntur, ita et eatenus tantum usurpant, quatenus hunc earundem usum DEO vere acceptum, vel omnino praeceptum arbitrantur. Quem in finem postquam Apostolus conjugatis, utique non *secundum imperium,* sed *secundum*

*indulgentiam*, dixerat, ut *non fraudantes invicem iterum revertantur in idipsum;* eosdem paulo post ad sublimiora provocans ait: „*Hoc itaque dico, fratres; tempus breve est; reliquum est, ut et qui habent uxores, tamquam non habentes sint, et qui gaudent, tamquam non gaudentes, et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; praeterit enim figura hujus mundi.*" I. Cor. 7, 29. et seq.

3. Quapropter spiritualis director infirmos quidem, quamdiu limites stricti officii non excedunt, paterne sustinebit; robustiores tamen modeste ad temperantiam perfectiorem hortabitur, omnes poenitentium circumstantias bene perpendens, et addens cum eodem Apostolo: „*Porro hoc ad utilitatem vestram dico; non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem praebeat sine impedimento Dominum obsecrandi.*" I. Cor. 7, 35. Generatim vero saepius hucusque repetii, non solum ad acquirendam majorem perfectionem, sed ad ipsos quoque graviores lapsus praecavendos rem esse prorsus necessariam, ut quis interdum etiam a licitis sibi temperet.

## Caput II.

### *De virtutibus theologicis.*

### §. 644.

#### De virtute fidei.

1. Quia de virtutibus theologicis alibi disserui, hoc loco nonnisi ad usum directoris spiritualis pauca monita subjungo. Pulcherrime S. Aug. ait: „*Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.*" De verb. Ap. Et S. Chrys.: „*Fides est origo justitiae, san-*

*citatis caput, devotionis principium, religionis fundamentum. Nullus unquam sine hac Dominum promeruit, nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit.*" Quapropter poenitentes saepissime inducantur, ut DEUM sancta quadam importunitate exorare pergant, quo hoc *suum donum*, fidem nempe, in cordibus ipsorum servare atque augere dignetur. Dicamus cum discipulis: *Adauge in nobis fidem!*" Vel cum afflicto parente: „*Credo Domine, adjuva incredulitatem meam!*" Luc. 17, 5., Marc. 9, 24.

2. Tum vero actus fidei frequenter concipere et renovare studeant, praesertim circa illa dogmata, quae humanum captum prae reliquis superant. Imo gaudio perfundantur, quod ista a nobis perspici non possint, quo fit, ut DEO praeter reliquas facultates etiam ipsum intellectum litare possimus. Et utique „*si talia essent opera DEI, ut facile ab humana ratione caperentur, non essent mirabilia nec ineffabilia dicenda.*" De imit. Chr.

3. Attamen hanc nostram fidem non verbis tantum, sed vel maxime actibus et operibus exerceamus. „*Justus autem meus ex fide vivit.*" Hebr. 10, 38. Prout ergo pisces in aquis, volucres in aëre, ita et nos semper in elemento fidei versari oportet. Quare dum oras, oculo fidei DEUM tibi praesentem intuere; dum confiteris, in sacerdote non hominem, sed ipsum Christum cogita; dum tentationes pulsant, denuo oculos ad divinum tuum regem et ducem subleva; dum, quae tui muneris sunt, exequeris, *sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi tui sint ad Dominum DEUM tuum;* dum egenti subvenis, reminiscere: „*Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis etc. etc.*" Praesertim instandum est, ut animae piae tempore magnae ariditatis anchoram fidei firmiter constrictam teneant. Etiamsi omni superno solatio destitutae, et atris tenebris obvolutae sint, per nudam ta-

men et siccam fidem iter suum prosequantur, *habentes firmiorem propheticum sermonem*, cui attendamus, „*quasi lucernae lucenti in loco caliginoso, donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus* nostris." II. Petr. 1, 19.

4. Quantum ad illos, qui contra fidem graviter tentantur, jam alibi monui, non esse, cur mentes piae inde sibi timeant. Hinc, ubi has suas tentationes exponunt, directorem ne parum quidem commoveri oportet; sed sine omni fluctuatione iisdem animum addat, eosque instruat, qua ratione hae inimici suggestiones sint contemnendae.

## §. 645.

### De spe et fiducia.

1. De suavissima hac virtute toties hucusque dixi, ut, quamvis praesens materia exhauriri nequeat, plura tamen non addenda censeam, nisi monita quaedam practica. Itaque in animarum directione summi momenti est, ut ad vivam identidem ac inconcussam erga DEUM fiduciam erigantur. Revera infrequens non est, ut personae etiam spirituales titubare, mente dejici et vix non desperare soleant; et quod est pessimum, hanc suam pusillanimitatem cum humilitate confundentes parum desuper sollicitae sunt. Talibus ergo ad oculum exhibeatur, quantum discriminis inter justam de semet ipso diffidentiam et mentis consternationem intercedat; divina ipsis promissa proponantur, et quidquid objiciant, ex divinis paginis firmiter refellendum est. Imo invicte persuadendum illis est, omnem titubationem, quae mentem deprimit, non a DEO, sed a daemone immitti, qui aliud non intendit, nisi ut eas in praeceps agat.

2. Simul data quavis occasione gravissima hujus virtutis momenta illis inculcentur. Quis nobis sensus esse debet, si ejusdem *objectum* attendimus! Scilicet objectum

primarium est DEUS ipse, quo per totam aeternitatem fruituri sumus. „*Scimus enim, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est.*" I. Joann. 3, 2. Tum vero per omnem aeternitatem „*inebriabimur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis tuae potabis nos, quoniam apud te est fons vitae, et in lumine tuo videbimus lumen.*" Ps. 35. Et ne innumera peccata et ingens fragilitas nostra consecutionem tanti boni impediant, idem benignissimus DEUS delictorum veniam, supernas vires, et talem rerum dispositionem promisit, *ut diligentibus DEUM omnia cooperentur in bonum.* Rom. 8, 28.

3. Et haec quidem *ille* promisit, qui est veritas ipsa. Coelum et terra transibunt, verba autem ejus non praeteribunt. Quanta igitur inter omnes pugnas et calamitates hujus temporis alacritas, quantum solatium, quam invictum denique robur nobis esse debebit! Vere „*qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current et non laborabunt, ambulabunt, et non deficient.*" Isai. 40, 31.

4. Quare, quicunque esuriunt et sitiunt justitiam, ad hanc fiduciam pro viribus semet urgere studeant. Quem in finem hujus virtutis actus iterato concipere, et infinita momenta ejusdem saepe meditari expedit. Insuper et innumeris, quibus sacra Scriptura nos ad spem adhortatur, textibus unum alterumve sibi familiarem reddant, quo diabolo fortiter *in fide* resistant, dum circuit tamquam leo rugiens, quaerens, quem devoret. „*Vivus est enim sermo DEI, et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti.*" Hebr. 4, 12.

## §. 646.

### De charitate.

1. Vinculum denique perfectionis est charitas, imo perfecta charitas est *perfectio* ipsa. Ubi haec excluditur,

opera utut splendida et stupenda nihil sunt, I. Cor. 13, 1. et seq.; contra, siquis ex charitate „*potum dederit uni ex minimis istis calicem aquae frigidae tantum: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*“ Matth. 10, 42. Hinc exclamat S. Bern.: „*O felix amor, ex quo oritur strenuitas morum, puritas affectionum, subtilitas intellectuum, desideriorum sanctitas, operum claritas, virtutum fecunditas, meritorum dignitas, praemiorum sublimitas!*“ Tract. de dilig. Deo.

2. Quanta hujus virtutis dignitas sit, alibi designare studui. Tantum quippe hujus officii, quo DEUM diligere jubemur, momentum est, quantus est DEUS ipse. At vero „*quis sicut Dominus DEUS noster? DEUM nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.*“ Joann. 1, 18. Ipse solus plene semet intelligit, et quantum meretur, amat. „*Nobis vero,*“ ut S. Leo inquit, „*ipsa materia ex eo, quod est ineffabilis, fandi tribuit facultatem; nec potest deficere, quod dicatur, dum nunquam potest satis esse, quod dicitur. Succumbat ergo humana infirmitas gloriae DEI, et - - - imparem se semper inveniat. Laboremus sensu, haereamus ingenio, deficiamus eloquio; bonum est, ut nobis parum sit, quod etiam recte de Domini majestate sentimus. Dicente enim Propheta: Quaerite Dominum et confirmamini, quaerite faciem ejus semper; nemini praesumendum est, quod totum, quod quaerit, invenerit, ne desinat appropinquare, qui cessarit accedere.*“ Serm. 11. de pass. Dom.

3. Atque dum ejusdem objectum attendimus, haec eadem charitas, quamvis una semper eademque sit, apte tamen in *mediatam* et *immediatam* dispesci potest, dum nempe DEUM vel in *ejusdem imagine*, in proximo, vel sine intermedio *in seipso* diligimus. De utraque chari-

tatis specie ea, quae proxime Ascesim spectant, paucis indigitabo.

## §. 647.
### De charitate proximi.

1. Vera et perfecta dilectio proximi originem suam non aliunde, sed ex charitate DEI repetit, quia scilicet proximum *propter DEUM* diligere jubemur. Unde omnis amor, qui in DEUM non desinit, imperfectus censeri debet. „*Nemo cum quempiam diligit, habere se protinus charitatem putet, nisi prius ipsam vim suae dilectionis examinet. Nam siquis quemlibet amat, sed propter DEUM non amat, charitatem non habet, sed habere se putat.*" S. Greg. hom. 38. in Evang. Simul vero haec eadem dilectio proximi est praecipua exhibitio charitatis nostrae erga DEUM. „*Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.*" Joann. 15, 12. „*Siquis dixerit, quoniam diligo DEUM, et fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, DEUM, quem non videt, quomodo potest diligere? Et hoc mandatum habemus a DEO, ut, qui diligit DEUM, diligat et fratrem suum.*" I. Joann. 4, 20. et seq. Denique, ut alia omittam, haec eadem dilectio efficacissimum simul est remedium veniam consequendi et misericordiam apud DEUM. „*Charitas operit multitudinem peccatorum.*" I. Petr. 4, 8. „*Ignem ardentem exstinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis.*" Eccli. 3, 33. Hinc iterato dicitur: „*Dimittite, et dimittemini. Date, et dabitur vobis. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*" Luc. 6, 37.

2. Ex quibus facile perspicitur, quantopere spiritualis director allaborare debeat, ne animae ipsius curae commissae huic gravissimo praecepto ullatenus desint. Caveant

sibi a vanis suspicionibus, a judicii temeritate, a detractione et ab omni offensa aliorum. Etenim *charitas non cogitat malum. Siquis autem putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, hujus vana est religio.* Discant insuper aliorum infirmitatibus compati, alter alterius onera portare, *si fieri potest, et quod ex ipsis est, cum omnibus hominibus pacem habere, non semet ipsos defendere, neque vinci a malo, sed vincant potius in bono malum.* Rom. 12, 18. et seq. „*Charitas patiens est, non irritatur, omnia suffert, omnia sustinet.*“ Atque hanc suam charitatem data quavis occasione pro viribus testatam faciant, ut *eorundem dilectio non verbo, neque lingua, sed opere et veritate constet. Charitas enim benigna est, non est ambitiosa, nec quae sua sunt, quaerit.* Hisce exercitiis in omni vitae conditione latissimus campus patet, ita ut nulli plane excusationi locus supersit. Nam praeter opera misericordiae corporalia dantur etiam spiritualia; et siquis reapse sub nulla ratione aliis prodesse possit, potest illos suo saltem aedificare exemplo, atque pro eorundem salute supplices ad DEUM preces dirigere.

3. Hunc in finem praeter reliquas rationes, quibus fraterna dilectio in sacris literis urgetur, poenitentes praesertim saepe commonefiant, quidquid aliis praestiterint, ita a Christo accipi, ac si ipsimet exhibitum fuisset. Matth. 25, 40. et seq. Profecto quid demum ab omni aliorum laesione nos magis arcere, nosque ad omnis generis obsequia efficacius disponere potest, quam dum in persona proximi ipsum Redemtorem suspicimus? En, quomodo S. Chrys. praesens argumentum edisserat: „*Si Christum Dominum nunc videretis, certe non dubitaret unusquisque vestrum universam substantiam in eum erogare; verum nunc nec teruncium erogas. Non audis dicentem: Quod uni ex minimis meis facis, mihi facis. Nihil nempe in-*

*teres, sive huic pauperi, sive ipsi Christo dederis. Imo multo etiam majus. Non enim est aequale, ipsum Dominum praesentem alere, cujus praesentia vel lapideum ad se animum attraheret; et propter ejus verba duntaxat pauperes, mendicos et aegrotos alere atque curare. Majoris erga Christum reverentiae signum est, quandoquidem ideo conservum tuum in omnibus diligenter pascis atque curas.*" Hom. 89. in Matth.

## §. 648.

### De diversis charitatis divinae speciebus.

1. Dilectio fraterna singularis quidem, non tamen unica est exhibitio charitatis, quam DEO debemus. Ad sacerrima hominis officia pertinet, ut DEUM non solum in *ipsius imagine*, sed etiam proxime in *semet ipso* diligat, utque sensus hosce cultu etiam externo contestetur. Cultus iste, quo DEO tum charitatem et reverentiam nostram, tum omnimodam subjectionem, gratitudinem, et qui sunt alii devotae mentis affectus, exhibemus, ad *virtutem religionis* referri solent. Quia tamen de cultu tam privato quam publico in Ethica fusius dixi, non est, quod hoc loco addendum videatur. Ast quantum ad *ipsa sensa*, quibus animus erga DEUM inardescat, pro faciliori usu directoris quaedam iterato percensere expedit.

2. Itaque qui amicum sincere diligit, de ejusdem bonis non secus, ac si sua essent, laetatur; eidem primum in corde suo locum tribuit; de offensis, quas illi antea ipse intulerat, et alii adhucdum inferunt, quam maxime dolet, et demum voluntatem suam ita illius placitis resignat, ut jam non in se ipso, sed nonnisi in dilecto capite vivere et spirare videatur. Et ecce, easdem plane vices etiam charitas, qua mens nostra DEUM complectitur, subit.

3. Prima igitur hujus charitatis exhibitio est summa et intima *laetitia* de DEO, utpote quem in se ipso perfectissimum et infinite beatum esse gratulamur, ita ut, quidquid usquam datur potentiae, pulchritudinis, majestatis, et quidquid boni nobis imaginari possumus, DEUS et quidem modo prorsus infinito in se comprehendat. Quodsi filius vere pius ex prosperitate dilectissimi parentis tanto gaudio perfunditur; quanta demum erit exultatio animi DEUM, cujus amore flagrat, sub omni ratione *infinitum* conspicientis! Rectissime S. Laur. Justin. hanc de DEO exultationem aliquem coelestis beatitudinis praegustum vocat, dum mens nostra, quantum in hac vita conceditur, jam nunc beatissimos spiritus imitatur, qui de hac ipsa DEI excellentia aeterno gaudio perfunduntur. Quanta porro inter angustias et aerumnas hujus temporis consolatio, dum cogitamus: *„Datur DEUS, et hoc in immensum sufficit!“* Utique ad tantam celsitudinem mentes nonnisi puriores elevari possunt. Attamen cum perfectioribus rem saltem iterato tentare juvat, ut, quod momento non succedit, saltem successive impetretur. Praesertim in aerumnis et infirmitatibus suis illud Habac. 3, 17. sibi usurpare discant: *„Ficus non florebit, et non erit germen in vineis; mentietur opus olivae, et arva non afferent cibum. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in DEO JESU meo.“*

## §. 649.

### Continuatio.

1. Praeterea haec erga DEUM charitas saltem *appretiative* summa sit oportet, cujus tres denuo gradus distingui possunt: *a)* Dum quis ad quaecunque potius bonorum temporalium detrimenta, atque ad ipsam potius mortem subeundam paratus est, quam ut DEUM *peccato gravi*

offendat; *b)* dum quis peccatum etiam *veniale* prae quibuscunque aliis hujus mundi malis abhorret; *c)* denique dum quis nullis molestiis deterreri potest, quo minus etiam *consilia de bono meliori* sequatur. Per hos igitur gradus animae generosiores sensim erigantur, ut disponant „*ascensiones in corde suo. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem; videbitur DEUS Deorum in Sion.*“ Ps. 83. Quam ob rem saepissime admoneantur, *quis sit DEUS, et quanto amore ipse prior nos dilexerit.* Quid non faciunt subditi pro dilecto principe? „*Quare pudeat nos ab amatoribus hujus saeculi superari, qui ut sua vota perficiant, suisque superioribus famulentur, exponunt laeto animo corpus periculis, et animam perditioni. Consurgent tales nobiscum in judicio, et merito condemnabunt nos.*“ S. Laur. Justin.

2. Aliam charitatis speciem *amorem benevolentiae* dicunt, quo scilicet dilectissimo amico bona omnia et sincere apprecamur, et pro viribus comparare nitimur. Equidem DEUS *bonorum nostrorum non indiget;* quia tamen omni cultu et obsequio dignissimus est, ardens in nobis charitas quiescere non potest, donec cultus tantis titulis debitus eidem reapse exhibeatur. Hinc animus DEO devotus non pro sua tantum parte omne obsequiorum genus ipsi exhibere, sed etiam pro viribus conferre studet, ut idem ab aliis fiat. Imo fervens honoris divini zelus naturas etiam irrationales provocat, ut *omnia opera Domini benedicant Domino, et laudent et superexaltent eum in saecula.*

3. Simul eadem haec charitas dolore non intermisso affligitur, quod DEUM tam bonum unquam offenderit, illud semper S. Aug. ingeminans: „*Sero te amavi, o pulchritudo antiqua et semper nova! Sero te amavi etc.*“ Atque hunc dolorem non de suis tantum, sed etiam de peccatis

aliorum fovet, quibus DEUM T. O. contemtum et offensum ingemiscit. Unde, si fieri posset, illa proprio etiam sanguine impedire vel eluere optat. „*Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei. Vidi praevaricantes et tabescebam.*" Ps. 118.

4. Ex quibus denuo perspicitur, quinam verae devotionis characteres sint. Genuina devotio non in dulci affectione sensuum, sed in virili affectu animi consistit. Hinc praeter notam humilitatis, qua deficiente nulla prorsus veri nominis virtus datur, attendendum est:

*a)* Utrum poenitens ab omni peccato sincere abhorreat, atque sedulo ad majorem semper perfectionem enitatur; utrum ad augendam divinam gloriam, atque ad promovendam aliorum salutem paratus semper et promtus sit, et qua demum intentionis puritate his omnibus incumbat;

*b)* num pro DEO adversa quaeque alacriter subeat, inter dolores et molestias, inter calumnias et persecutiones, in bonorum, vel charissimorum capitum jactura etc. divinae dispositioni promto animo acquiescens; *promto animo* inquam; nam *afflictio sensuum* virtutem haud minuit, sed auget potius, ubi natura recalcitrans ratione subigitur. Contra si poenitens peccata, quamvis nonnisi venialia sint, parum curet, in mortificandis suis passionibus segnis, laboris parum amans, ad aliorum calamitates indifferens, atque omnis adversitatis et afflictionis impatiens sit; si denique devotionem suam vix non unice in frequentandis mysteriis, in multitudine precum et assuetis exercitiis pietatis reponat; tum, etiamsi seraphicis fors ardoribus colliquescere videatur, ipsius tamen vana est religio, atque omnis ejus pietas non fructus gratiae, sed partus solius fere naturae censeri debet.

## §. 650.

### De plena conformitate cum voluntate divina.

1. Generalis tandem amoris nostri in DEUM contestatio est plena conformatio mentis nostrae ad voluntatem divinam, ut absque ulla exceptione velimus, quae DEUS vult, haecque ideo duntaxat, quia ipse vult. Sic enim a nobismet ipsis exeuntes toti demum in DEUM transferemur. „*Dixi tibi saepissime, et nunc iterum dico: Relinque te, resigna te, et frueris magna interna pace. Da totum pro toto; nil exquire, nil repete; sta pure et inhaesitanter in me, et habebis me. Eris liber in corde, et tenebrae non conculcabunt te. Ad hoc conare, hoc ora, hoc desidera, ut ab omni proprietate possis exspoliari, et nudus nudum JESUM sequi; tibi mori, et mihi aeternaliter vivere. Tunc deficient omnes vanae phantasiae, conturbationes iniquae, et curae superfluae. Tunc etiam recedet immoderatus timor, et inordinatus amor morietur.*“ De imit. l. 3. c. 37.

2. Et sane quantae rationes concurrunt, ut adorandae DEI voluntati nos totos permittamus! „*Quia ipse est Dominus DEUS noster, qui fecit nos; nos autem populus ejus, et oves pascuae ejus.*“ Ps. 94. „*Emittit lumen et vadit; et vocavit illud, et obedit illi in tremore. Stellae vocatae sunt, et dixerunt: Adsumus; et cum jucunditate luxerunt ei, qui fecit eas.*“ Bar. 3, 33. Ipsi quoque mari terminum posuit, dicens: „*Usque huc venies, et non procedes amplius; et hic confringes tumentes fluctus tuos.*“ Job 38, 11. Ut quid ergo *mens nostra* non ex integro illi se subjiciat, praesertim cum ipse nos etiam *redemerit, non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, et incontaminati?*“ I. Petr. 1, 18. et seq. Quodsi ergo Unige-

nitus DEI Filius se totum pro nobis dedit, numquid nimium erit, si et nos nihil jam nobis reservantes toti quanti ipsius esse studeamus? Imo tanta est ratio nos totos DEO sacrificandi, quanta est Divinitas ipsa, cujus quippe tota immensitas hanc charitatem urget. Quanta igitur dementia ponderi, quod plane infinitum est, obniti!

3. Neque mens nostra aliquid deperdit, ubi se totam in DEUM transfert. Imo quo magis in illum se transtulerit, eo quoque perfectior redditur, bono quippe infinito inhaerens, ad quod se factam esse persentiscit, et quo solo satiari potest. Equidem, quod sortem temporalem attinet, pars nostra inferior saepe tristitiam habebit, et ingemiscet, non aliter, ac *mulier, cum venerit hora ejus;* attamen post breve intervallum, quod aeternitati comparatum vix momentaneum dici potest, *tristitia nostra vertetur in gaudium.* Imo quaecunque hujus temporis calamitates totidem nobis gradus erunt, quibus divina providentia ad sublimissimam destinationem nostram nos evehet. „*Scimus enim, quoniam diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.*“ Rom. 8, 28.

4. Ad hunc igitur verticem, ubi vera denique pax habitat, quae exsuperat omnem sensum, tum nosmet ipsos, tum spirituales alumnos nostros magis magisque urgere satagamus. Huc omnes labores et conatus nostros collineari oportet, ut mens nostra voluntati divinae penitus subjecta, quidquid a nobis exegerit, strenue exequi, et quidquid disposuerit, alacriter suscipere contendat. Et haec quidem propriae voluntatis resignatio non solum ad eventus perarduos et rariores, sed etiam ad obvios et quotidie recurrentes, imo ad ipsa negotia spiritualia, e. g. ad internas consolationes vel ariditates, paucis ad res prorsus omnes extendatur. Unde etiam quotidie orare jubemur:

*„Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra!"* Et proinde, quidquid ex ipsius dispositione evenerit, illud semper pro tessera teneamus: *„Dominus est; quod bonum est in oculis suis, faciat. Sit nomen Domini benedictum."* Equidem ardua et laboris plena est haec doctrina; sed ad *summa* nonnisi magna contentione ascenditur. Attamen *„qui coepit in nobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi JESU."* Philipp. 1, 6. Hanc itaque gratiam praeter reliquos conatus, divinis maxime promissis firmiter innixi continuatis precibus atque suspiriis efflagitemus. Cf. de imit. l. 3. c. 21.

# APPENDIX.

## DE GRATIIS EXTRAORDINARIIS.

---

### §. 651.

#### Notio illarum.

1. Hucusque directoribus modum indigitare studui, quo poenitentes per vias usitatas ac planas, et ope gratiae ordinariae ad perfectionem illis convenientem dirigant. Ast dantur insuper charismata extraordinaria, quae non solum omnem naturam, sed ipsum quoque ambitum gratiae, qualis ordinarie atque passim a DEO conceditur, multum superant. Hujus generis exempla tum in sacris literis tum in Ecclesiae annalibus vix non innumera referuntur. Et primis quidem Ecclesiae temporibus tales gratiae adeo frequentes et pervulgatae fuerunt, ut S. Paulus, ne quis illarum abusus fieret, Corinthiis diversa praecipere debuerit. I. Cor. c. 12. et seq. Ita scilicet, ut S. Aug. inquit, aeterna Sapientia *ad commendationem rudis fidei, et ad dilatanda Ecclesiae primordia* disposuerat. Unde postquam Ecclesia adolevit, et firmis jam radicibus stare coepit, ejusmodi dona extraordinaria equidem rariora facta sunt, ita tamen, ut manus Domini nunquam abbreviata fuerit. Idquod tum ex subsequentium saeculorum Patribus, tum ex bullis beatificationis et canonizationis constat, quae post exactissimam disquisitionem defunctis sanctitate conspicuis religio-

sum cultum assignant. Nullum certe canonizationis processum invenies, in quo praeter gratias ordinarias non etiam extraordinariae occurrant, et quidem argumentis plane irrefragabilibus comprobatae.

2. Pars Theologiae, quae hisce occupatur, *mystica* dicitur, quam denuo in *experimentalem* et *doctrinalem* dividunt. Illam non homo aliquis, sed DEUS solus ingerit, qui in anima operatur. Hinc illam definiunt esse coelestem aliquam rerum divinarum notitiam, animae a DEO immediate infusam. Ea vero, quae *doctrinalis* vocatur, est scientia acquisita, quae ex veritatibus fidei atque eliquatis Sanctorum, quibus talia dona concessa fuerunt, experientiis circa praesentem materiam firma principia infert. Proinde fontes hujus Theologiae sunt inprimis *doctrina*, quam Ecclesia circa extraordinarias has gratias semper tenuit; tum vero *experientiae Sanctorum*, quae vel ab ipsis, vel ab aliis fide dignis auctoribus conscriptae, et ab Ecclesia qua genuinae agnitae fuerunt, e. g. scripta S. Theresiae a JESU. Inter ejusdem subsidia patres et doctores Ecclesiae eminent, praesertim Ss. Basil., Hier., Aug., Greg. M., Bernard., Bonavent. et Thom. Aq. His alii scriptores accedunt, quorum Ecclesia semper admodum ferax fuit. Et quidem, ut aliquos tantum designem, ex scriptoribus posteriorum temporum commendari merentur S. Franc. Sal., S. Joann. de Cruce, Dionys. Carth., Ludov. Granat. et alter de Ponte dictus, Blosius, Bellarmin., Bona et alii.

3. Neque dubitare licet, hanc doctrinam sacerdoti utilissimam esse. Cum enim ex moderna DEI providentia homo per hominem dirigi debeat; quam periculosum est, si nos ipsi, quos reliquorum duces esse oportet, hujus scientiae penitus rudes atque expertes simus! Etiamsi enim nostro tempore animae adeo depurgatae rarissimae sint, quibus Dominus se singulariter gustandum praebeat; sacer-

dotis tamen interest, ut saltem aurum a scoria rite discernere possit. Scilicet in hac via tenebrae et pericula tanto plura occurrunt, quanto magis a sensu vulgi, a consueto rationis dictamine atque ab experientia quotidiana distat. Quam pronum igitur est, ut, ubi peritus dux desideratur, animae etiam piissimae vel aestu propriae phantasiae, vel subtilissimis hostis infernalis artibus misere deceptae alucinentur! Qua porro ratione diversas illusiones et fallacias secure deteges, si horum mysteriorum pene rudis fueris, et vixdum scias, *si Spiritus sanctus est?* Act. 19, 2. Quodsi quis abusus hujus doctrinae causetur, respondeo, *ignorantiam* rerum spiritualium non ad exstirpandos, sed potius ad augendos ejusmodi abusus facere, prout ex recentissima pseudomysticorum historia facile probari posset.

## §. 652.

### De gratiis gratis datis.

1. Ex recepto scholarum usu, prout ordinarias, ita etiam gratias extraordinarias ad duas potissimum classes redigunt, easque vel *gratis datas*, vel *gratum facientes* vocant. Gratias gratis datas dicunt, quae primario non tam ad propriam, quam potius ad utilitatem et sanctificationem aliorum conceduntur. Ita S. Thom. Equidem omnis gratia *gratis* datur; attamen specialis haec denominatio ex verbis illis Salvatoris repetitur: „*Infirmos curate - - - gratis accepistis, gratis date.*“ Matth. 10, 8.

2. Gratias gratis datas Apostolus praesertim I. Cor. 12, 7. et seq. percenset: „*Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alii sermo scientiae, alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.*“

3. Juxta mentem Doctoris angelici primae tres species, scilicet *fides*, *sermo sapientiae* et *sermo scientiae* praeprimis ad promulgandam veram religionem dispensantur, ita ut quis a DEO speciali lumine illustratus et divinis veritatibus singulariter imbutus ac quasi abreptus easdem pia cum unctione, perspicue ac invicto argumentorum pondere tueri ac demonstrare sciat, juxta illud: „*Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri.*" Luc. 21, 15. Quid per reliquas gratias innuatur, nempe per *gratiam sanitatum*, per *operationem virtutum*, seu miraculorum etc., facile perspicitur. Id unum addidisse juvat, in hunc gratiarum, quas gratis datas nuncupamus, censum quaecunque extraordinaria auxilia venire, quae DEUS ad spiritualem Ecclesiae utilitatem, atque ad animas rite dirigendas ministris suis elargitur. Unde omissa ulteriori expositione ad ipsam praxim descendamus.

## §. 653.

### Regulae practicae.

1. Hae gratiae per se quidem illius, cui conferuntur, sanctitatem haud contestantur, quippe quarum quis primario non ad propriam, sed ad aliorum salutem particeps redditur. Unde discipulis dicitur: „*In hoc nolite gaudere, quia spiritus vobis subjiciuntur; gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in coelis.*" Luc. 10, 20. Imo alibi Christus asseverat: „*Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tua prophetavimus, et in nomine tuo daemonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem.*" Matth. 7, 22. et seq. Aliud dicendum foret, si

ad invocationem *alicujus defuncti* a DEO miracula conceduntur.

2. Attamen generatim DEUS homines nonnisi vere pios, sibique amicissimos tamquam peculiaria gloriae suae instrumenta assumere consuevit. Hinc tales gratiae, ubi a personis vitiosis, vel saltem a perfectionis studio alienis venditantur, jure pro suspectis habendae sunt.

3. Generatim multam reprehensionem merentur, qui ejusmodi gratias appetunt. Mens vere humilis eorum, quae insolita sunt, se prorsus indignam arbitratur; et simul hae gratiae eo periculosiores sunt, quo plus splendoris diffundunt. Suam potius quisque salutem aeque, ac alienam mediis ordinariis promovere, atque cum talento sibi concredito fenerari studeat. „*Aemulamini autem charismata meliora! Sectamini charitatem!*" I. Cor. 12, 30. et 14, 1.

4. Quod speciatim *gratiam sanitatum et fidem*, quae mira operatur, attinet, equidem divina promissa, quibus *credenti omnia possibilia* declarantur, nunquam cessabunt; unde etiam in vera Christi Ecclesia nulla aetas designari potest, in qua nulla plane miracula patrata fuerint. Attamen, ne abusus fiat, et ne ipsa fors religio per quorundam temeritatem contemtui exponatur, nullus tale quid pertentet, nisi quam certissime a DEO se impulsum senserit. Ubi enim de voluntate divina non constat, nos imprimis latet, utrum e. g. morbus, quo quis laborat, ad ejusdem salutem non magis expediat, quam bona valetudo; et insuper ubi media ordinaria suppetunt, temerarium foret, siquis citra DEI ipsius impulsum ope *solius fidei* decumbentem sanare praesumeret. Hinc etiam S. Paulus, quamvis hac gratia maxime praefulgeret, suum tamen Timotheum adversa valetudine saepius laborantem non ad absolutam fidem hortatus fuit, sed eidem suasit, ut *modico vino utatur*. I. Tim. 5, 23.

## §. 654.

### De gratiis gratum facientibus.

1. Gratias *gratum facientes* dicunt, quibus immediate subjectum illas recipiens DEO acceptum redditur. Tales sunt gratia sanctificans et diversi virtutum habitus, qui nobis per Spiritum sanctum infunduntur, ut ad exequendas has virtutes expediti et parati simus. Ut vero dicti habitus in convenientes actus transeant, denuo *gratia actuali*, seu divina illustratione et piis motibus indigemus. Unde dona Spiritus sancti *habitualia* et *actualia* distingunnt. Et siquidem virtutum actus, ad quos provocamur, communem et inter homines probos usitatum agendi modum haud excedant, dona *ordinaria* sufficiunt; ad operationes vero singulares, atqne modum consuetum excedentes etiam singularia dona requiruntur, quae idcirco *extraordinaria* dicimus. Haec igitur dona tum insolitam illustrationem intellectus nostri, tum singularem charitatis, ad quam voluntas nostra accenditur, ardorem comprehendunt. Vid. S. Thom. 1. 2. Q. 68. art. 3.

2. Ss. Patres septem hnjusmodi extraordinaria Spiritus sancti dona enumerant, quae scilicet jnxta Isai. 11, 2. et seq. in Christo quasi recondita sunt, atque, ubi per gratiam sanctificantem ipsi conjungimur, jure quodammodo haereditario in nos saltem quoad habitum derivantur. „*Requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus; spiritus consilii et fortitudinis; spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.*“

3. Ne in explicandis his donis prolixior sim, nonnis sequentia affero. Quatuor ex istis, *sapientia* nempe et *intellectus*, *scientia* et *consilium* ad rationem, reliqua vero, scilicet *pietas*, *fortitudo* et *timor Domini* ad voluntatem

referuntur. Itaque, prout Card. Bona illa interpretatur, *sapientia*, a *sapore* sic dicta, non solum altissimam simplicissimamque rerum divinarum cognitionem, sed coelestem quoque suavitatem, quae inde percipitur, confert. Donum *intellectus* facit, ut veritates fidei penitius subtiliusque penetremus. *Scientia* tum ea, quae credenda nobis, atque agenda sunt, facile perspicit, tum etiam, quidquid in rebus creatis boni vel pulchri occurrit, ad DEUM refert. *Consilium* denique facile discernit, quid in casibus singularibus ad consequendam christianam perfectionem fieri vel omitti oporteat.

4. Quantum ad ea, quae voluntatem afficiunt, *pietas* mentem nostram excitat atque alacrem reddit tum ad DEUM pro viribus colendum, tum ad opera misericordiae aliis exhibenda. *Fortitudo* voluntatem corroborat, ut nullis qualescunque illae sint, molestiis et difficultatibus a divino servitio deterreri possit. Demum *timor Domini*, utique non servilis, sed castus et filialis, ab omni vel minima DEI offensa solicite refugit. Quodsi vivum aliquod horum donorum exemplum desideras, attende S. Petrum, Apostolorum principem, cogitans, quis ante, et quis post Spiritus sancti illapsum fuerit.

## §. 655.

### De contemplatione.

1. Res est difficillima de illis disserere, quorum quis nullam experientiam habet, quaeque nihilominus sola fere experientia addiscuntur. Talis quippe in summo periculo alucinandi versatur; imo, etiamsi vera proferat, haec tamen plurimis mera commenta et somnia videbuntur. Et haec quidem praecipue de supernaturali *contemplatione* obtinent, quae non tantum omnem naturam, sed ipsam quoque gra-

tiam, quam *ordinariam* dicimus, plurimum transcendit, imo mentibus ad hunc verticem sublatis revera *coelum novum et terram novam* reserat. „*Qui habet pennas, annuntiabit sententiam.*“ Eccle. 10, 20. Juvat tamen pauca huc transscribere, quae a viris non tantum ingenio, sed etiam pietate ac rerum divinarum experientia conspicuis hac super re ingenue referuntur. Itaque contemplatio, non philosophica sed sacra, prout hic illam accipimus, est extraordinaria mentis elevatio, qua illa DEO rebusque coelestibus simplici et claro intuitu inhaeret.

2. Equidem etiam in *meditatione* mens nostra sursum elevatur, ut in illa *exardescat ignis;* tum vero per viam ordinariam incedentes in veritatem operose indagamus, atque imaginatione, intellectu et ratiociniis utimur. Contemplatio vero est favor prorsus singularis, quo Spiritus divinus mentem hominis ad coelestia transfert, eamque insolito lumine collustrat, ut divina mysteria absque ullo labore, et sine omni discursuum varietate quasi coram intueatur; non quidem illa claritate, qua Sancti in coelo DEUM contemplantur, attamen modo plane admirabili, eoquod *lumen fidei* dono sapientiae, intellectus et scientiae mirifice irradietur.

3. Ex hoc ipso felicissimo obtutu mens taliter elevata quodammodo absorbetur, ut huic uni mysterio intenta reliquorum omnium penitus oblita videatur. Dum enim DEUS ipsi supernaturali cum claritate obversatur, jam tota in illo defigitur, illique feliciter immersa aliud nescit, nisi illud sponsae: *Tenui eum, nec dimittam.* Parum aut nihil propemodum dicit, qui talem animam cum homine comparat, qui a nativitate coecus subito oculorum lumen reciperet. Quodsi regina Saba perspecta magnificentia Salomonis adeo obstupuit, ut prae admirationis vehementia dulciter languescens *non haberet ultra spiritum;* quid demum ani-

mus percipiet, ubi ad contemplationem ipsius Divinitatis sublimatur?

4. Hinc quoque talis anima ardentissimo amore flagrat. Imo haec duo, amor nempe et cognitio sese mutuo perficiunt. Quo clarius intellectus immensam DEI bonitatem perspicit, eo vehementius voluntas in illum accenditur; et vicissim quo vehementius voluntas inardescit, eo magis intellectum excitat, ut ibi defigat oculos, ubi est thesaurus ejus, atque sic motu quasi accelerato et videndi desiderium crescit, et acriores identidem flammae surgunt.

5. Quanta porro delectatio, dum, ut S. Bern. ait, mens hominis quasi arrham illius plenitudinis accipit, ubi DEUM per omnem aeternitatem facie ad faciem contemplabitur! Renuit talis anima ex rebus quibuscunque terrenis solatium captare, eoquod veraciter sentiat, *quia omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos foeni*. Et haec quidem delectatio aliquando tantum in animo residet, aliquando autem in sensus quoque inferiores diffunditur, juxta illud: „*Cor meum et caro mea exultaverunt in DEUM vivum.*" Ps. 83, 3.

3. Denique contemplationem serena quoque animi *tranquillitas* comitatur. Prout lapis ad ipsum terrae centrum delatus penitus quiesceret; ita et animus, ubi DEO, centro suo et bono infinito, felicissime potitur. „*Quia haec dicit Dominus: Ecce, ego declinabo super eam fluvium pacis.*" Isai. 66, 12. In hoc itaque fluvio omnis importuna cogitatio, quae mentem turbare posset, omnisque solicitudo plene submergitur, fitque, quod ibidem spondetur: „*Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, et in Jerusalem consolabimini.*"

7. Attamen haec felicissima contemplationis, praesertim eminentioris, momenta mox iterum transire solent, siquidem corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, et

ipsa jam praesentis vitae conditio id habet, ut nobis gustare quidem interdum liceat, quam suavis sit Dominus; nondum vero illo perenniter perfrui.

## §. 656.

### De materia et effectibus contemplationis.

1. Objectum primarium contemplationis est DEUS ipse, et quem misit, JESUS Christus. Et sane tum divina attributa, tum redemtionis nostrae mysteria tantam altissimae contemplationis materiam suppeditant, ut illis exhauriendis ipsa aeternitas vix sufficiat; sed et ceterae veritates revelatae, et quaecunque DEI beneficia afflante Spiritu sancto mentem hominis defigere, illamque ad contemplationis cacumen elevare possunt. Huc quoque B. V., Angeli, Sancti, eorumque dotes et beatitudo, fata atque triumphi Ecclesiae militantis etc. pertinent.

Inter alia commenta Mich. Molinos adstruxit, solum DEUM, et quidem seclusis tum operibus tum attributis ejus esse objectum contemplationis, adeo ut mens nulli prorsus cogitatui inhaerere debeat, nisi huic: *Ego sum, qui sum.* Unde suis severe interdictum voluit, ne illorum animus circa Christi humanitatem, circa religionis mysteria, circa cultum Sanctorum etc. occuparetur. Vid. inter ejus prop. ab Innoc. XI. damnatas prop. 35. et 36. Eundem errorem jam prius aliqui fanatici sparserant, atque S. Theresia dolens refert, se ipsam per breve tempus vesana hac opinione delusam fuisse. In ej. vita c. 22.

2. Ex dictis facile augurari licet, ex tanto Spiritus sancti dono uberrimos quoque fructus in animum redundaturos esse. Revera tot exinde bona proveniunt, ut in nullum fere numerum redigi possint. Hinc illos tantum effectus commemoro, ex quibus simul vera contemplatio a fictitia discernatur. Hos inter *humilitas* eminet, quia lumen contemplationis, prout divinam immensitatem, ita et no-

stram nobis dependentiam atque infirmitatem ostendit, divino hoc radio omnes cordis nostri sinus ac latebras illustrante. Humilitati indivulse abnegatio propriae voluntatis ac pia docilitas cohaerent, praesertim erga conscientiae directorem; item avulsio a rebus terrenis. Anima coelestibus deliciis recreata omnes corporis voluptates ceu sordes respuit, et de culpis suis, quibus derelicto fonte aquae viventis ex cisternis hisce antehac aquam limosam biberat, ingenti pudore suffunditur. „*Quae desursum est sapientia, primum quidem pudica est, dein pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens etc.*" Jac. 3, 17.

3. Alii effectus sunt: Studium defectus suos radicitus exstirpandi, mortificandique inordinatos appetitus; fortitudo in perferendis doloribus et omnis generis aerumnis, et vivum desiderium, si *quo modo comprehendat, in quo* talis anima *et comprehensa est a Christo JESU.* Philipp. 3, 12.

4. Praecipuus contemplationis fructus est charitas erga proximum. Quo enim quis propinquius ad DEUM accesserit, eo impensius quoque aliorum salutem curat. Hinc etiam S. Jacobus coelestem hanc sapientiam *plenam misericordia* et *fructibus bonis* dicit. Idquod historia abunde confirmat; quotquot enim contemplatione excelluerunt, etiam singulari studio aliorum utilitati atque saluti intentos fuisse legimus, illud Apostoli sibi usurpantes: „*Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?*" II. Cor. 11, 29.

## §. 657.

### De praeviis dispositionibus.

1. Ut complures alias partitiones taceam, contemplationem vel *infusam* vel *acquisitam* dicunt. *Infusa*, quamvis illam remota quaedam dispositio praecedere soleat, ho-

mini nil tale cogitanti, et etiam extra tempus orationis obtingit, prout S. Theresia saepius sibi accidisse narrat. *Acquisitam* vocant, cujus quis propria industria et exercitatione consors redditur. Quae tamen non ita intelligantur, ac si quis gratiam hanc singularem mereri, vel de illa obtinenda certus esse possit; est enim donum prorsus gratuitum, et simul extraordinarium, ita ut personis etiam piissimis saepe denegetur. Attamen prout oculi corporis diuturna exercitatione perspicaciores fiunt, ita et mens nostra aptis exercitiis ad sublimissimos hos obtutus atque volatus disponi potest.

2. Has porro dispositiones *purgationum* nomine complectuntur, easque vel *activas* vel *passivas* dicunt. Purgationes *activae* omnes illae industriae vocantur, quibus anima omnem percipiendi divini favoris obicem removere studet. „*Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.*" Sap. 1, 4. Prima igitur purgatio est, ut anima ab ipsis peccatis, praesertim gravioribus emundetur. Equidem per *contemplationem infusam* interdum ipsis incipientibus et imperfectis obtutus quidam clariores conceduntur; ast praeterquam quod id perraro fiat, haec nonnisi initia sunt, quibus divina benignitas tales animas ad intensius pietatis studium provocat.

3. Sunt porro et aliae purgationes, prout ex parte jam §.§. 641. et seq. dixi, videlicet:

*a)* Studium culpas etiam leves saltem deliberatas pro viribus eliminandi. „*Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.*" Quare qui animam talibus noxis contaminatam habet, ut S. Bern. ait, „*non sponsum sed medicum requirat, ac remedia accipiat suis vulneribus in oleo utique et unguentis.*"

*b)* Studium ipsas quoque pravas inclinationes et vitio-

rum radices exterminandi, ne de novo culparum saltem venialium germina protrudant.

c) Continuatum exercitium mentem a rebus terrenis expediendi, utpote quibus animus aggravari, et ejusdem pennae madefieri solent, quo minus adinstar columbae volare possit et requiescere. Quisquis rebus hujus temporis inordinate adhaerescit, aviculae comparari potest, quae vel caveae inclusa, vel filo illigata frustra altos volatus pertentat.

4. Alia exercitia, quibus mens ad sublimiora disponitur, sunt:

a) Amor solitudinis, arcta sensuum custodia, et multa spiritus recollectio, ne in exteriora diffundatur. Absit tamen, ut quis sub hoc obtentu officiis suis se subducat. Mens vere devota inter quaecunque negotia solitudinem retinet, atque in intimis suis penetralibus sacrarium servat, ubi identidem cum DEO suo converseturr.

b) Continua DEI praesentis recordatio, et indefessum orationis, praecipue mentalis studium. Meditatio quodammodo necessarium scabellum est, quo non tantum ad sublimiora ascenditur, sed ad quod post contemplationem mens iterum reverti debet. Idquod S. Theresia ab exemplo hortulani explicat: „*Si Dominus aquas, quando iis indigemus, coelitus suppeditare nunquam cessaret, facile perspicitur, quam quietus hortulanus esse posset. Quia tamen, quamdiu in hoc mundo sumus, id exspectari nequit, animam semper vigilem et attentam stare oportet, ut una aqua (seu contemplatione) deficiente, aliam (ope meditationis) sibi procuret.*“ In ipsius vita cap. 18.

c) Magna fidelitas, qua quis divinis inspirationibus omni hora obsecundare satagit. Cant. 5, 2. et seq.

*d)* Denique sincera et profunda humilitas, non interna solum, sed etiam quae data omni occasione exterius se prodat. „*Quia haec dicit excelsus, et sublimis habitans aeternitatem; et sanctum nomen ejus in excelso, et in sancto habitans, et cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et vivificet cor contritorum.*" Isai. 57, 15.

5. Eaedem virtutes sunt quidem etiam effectus contemplationis; exinde tamen nulla contradictio involvitur; quatenus enim ad contemplationem disponunt, *serios conatus* intelligimus easdem acquirendi; quatenus vero ex contemplatione resultant, *virtutes ipsae* designantur insigniter perfectae.

## §. 658.

### Continuatio.

1. Quia tamen DEUS solus hominem potest *mundum facere de immundo conceptum semine;* ipsusmet mentibus ad hanc celsitudinem vocatis ingentes plerumque cruciatus immittit, quibus, prout aurum in fornace, ab omni scoria depurgentur. Atque hae purgationes, quas *passivas* dicunt, denuo vel *ad sensus* vel *ad ipsum spiritum* referuntur, „*ut mundemur ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore DEI.*" II. Cor. 7, 1. Qui ampliorem harum purgationum notitiam expetit, legat scripta S. Theresiae, S. Joann. de Cruce, vel etiam vitam S. Magd. de Pazzis, utriusque Catharinae, Senensis nempe et Bonnon., B. Angelae de Fulgin. etc., ubi easdem vivis coloribus expressas stupebit. Brevitatis causa pauca tantum notamina appono.

2. Ad purgationem sensus diuturnae ariditates et desolationes spectant, nec non ingens appetituum, qui jam penitus subjugati videbantur, reluctantia et tumultus; hor-

rendae tentationes praesertim contra virtutes theologicas et castitatem, aliaeque impugnationes hostis infernalis, DEO eidem ad tempus aliquod catenas laxante; amicorum rerumque temporalium jactura; morbi et dolores; ludibria, contemtus, et interdum atrocissimae calumniae hominum; imo, quod prae reliquis dolet, hinc inde etiam insectationes ex parte illorum, qui probi alias, vel in aliquo officio constituti sinistram de tali anima opinionem concipiunt, eamque diversimode torquent.

3. Purgationem spiritus in eo collocant, *a)* ut animae non solum omne solatium sensibile, sed etiam internum, quod proxime in ipsum spiritum redundat, subtrahatur; scilicet quamvis talis mens DEUM intime diligat, et mille vitas pro ipso profundere parata sit, id tamen omni superno lumine destituta ignorat, et idciroo horrendum in modum affligitur; *b)* ut illi coelestis quidem lux affundatur, sed talis, quae non solatium, sed summos potius angores pariat, quippe in qua aliud non perspicit, nisi summam omnium, quae inde a pueritia commiserat, peccatorum atrocitatem, atque omnimodam indignitatem et miseriam suam. Unde, quo ardentius ad DEUM anhelat, eo majori horrore corripitur, eoquod divinam sanctitatem inter et suam malitiam spatium plane immensum videat, adeo ut omnis illo potiundi spes ipsi ademta videatur. Parum est, si dicam, talem animam coram DEO et coelesti curia eodem pudore affici, ac si homo ingenuus coram multitudine omni veste spoliatus apparere cogeretur; vel eosdem illi sensus esse, ac facinoroso, qui capitis damnatus, dum adhuc ignorat, poenam a principe sibi remissam fuisse, tremens feralem ictum exspectat.

4. Ast quo acerbiores hae purgationes fuerint, eo major hisce mentibus nitor conciliatur. Sic enim omnis superbia et praesumtio de semet ipso radicitus evellitur, cor ab

inordinatis suis adhaesionibus expeditur, non tantum ab iis, quibus antea rebus externis agglutinatum fuit, sed ab illis quoque, quibus in consolationes internas et delicias spirituales ferebatur. Demum inter tantas tempestates virtutes adeo exagitatae firmiores radices agunt, atque pulcherrimorum fructuum feraces redduntur.

5. Quamvis vero ab his purgationibus nemo unquam, quem DEUS ad subliniora vocavit, immunis fuerit; in aliis tamen lixivium, ut ita dicam, mitius, in aliis vero acrius adhibitum fuisse legimus. Pari modo alii diutius, alii tempore breviori; et iterum alii sine ulla interruptione, alii per intervalla caminum istum experiri debuerunt. Ratio hujus discriminis non tam ex majori minorive animarum impuritate, sed praecipue ex diverso contemplationis gradu deducitur, ad quem singuli elevandi fuerant. Certissimum axioma est: „*Quo sublimius unaquaeque anima evehenda est, eo profundius illam in antecessum deprimi oportet,*“ quemadmodum in Ps. 15, 4. dicitur: „*Multiplicatae sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*“

Per has ipsas Sanctorum experientias illustratur etiam doctrina de purgatorio. Etenim si mentes DEO jam adeo devotae, et quarum virtus nobis admiranda videtur, tantas purgationes subire coguntur, antequam ope contemplationis ad *aliqualem DEI fruitionem* pertingant; quid demum illis imminebit, qui in statu quidem gratiae, attamen multis naevis et maculis affecti ex hoc mundo decedunt, quales, inquam; purgationes tales experiri debebunt, priusquam ad *plenam et aeternam cum DEO unionem* admittantur?

6. Ast horum, quae modo dixi, ingens abusus foret, si spiritualis director opinaretur, omnes illos, qui vel magna sensuum ariditate, vel diris tentationibus etc. divexantur, ad contemplationem vocari. Haec enim et similia etiam in via ordinaria occurrunt. §.§. 557. et seq., et vix

unquam deesse solent. Spes isthaec nonnisi tum affulget, ubi talis anima jam antea, quamvis in gradu inferirori, singulares DEI favores experta fuit, et praecipue ubi in his ipsis tentationibus quidpiam, quod merito extraordinarium dicatur, et specialis simul DEI assistentia detegitur, ita ut mens taliter afflicta inter summas ariditates ac tenebras in solida virtute magis magisque proficiat.

### §. 659.

**De diversis contemplationis gradibus.**

1. Quamvis contemplatio in se *una* sit, diversi tamen, et vix non innumeri ejusdem gradus dantur. Divinus enim Spiritus non solum *ubi*, sed etiam *quando* et *quomodo vult*, *spirat*. Et quis poterit investigare sensum ejus, vel admirandis ejusdem operationibus terminum ponere? Ideo explicatio horum mysteriorum a viris theodidactis petenda venit, quibus DEUS, mirabilis in Sanctis suis, incerta et occulta sapientiae suae manifestare dignatus est. Fontes et subsidia, ex quibus uberior scientia hauriri queat, §. 651. designavi. Quod me attinet, paucissima tantum affero, non ut ad metam pertingam, sed ne omnino transeam.

2. Inprimis itaque diversos contemplationis gradus distinguunt, scilicet

*a*) *orationem recollectionis*, non illam, qua quis proprio conatu interiores suas potentias in DEO defigit; ad hanc enim gratia etiam ordinaria sufficit; sed haec recollectio est gratia extraordinaria, qua DEUS animam singulari luce ac suavitate perfundit, ejusque potentias attrahit, ut hae potentiae in illo tamquam centro suo dulciter quiescant. S. Theresia rem exemplo pastoris illustrat, qui oves suas sibilo advocans mox ab illis certatim circumdari solet. Pari modo S. Franc. Sal. similitudinem ab examine apum, vel etiam

a magnete adhibet, qui in multarum acuum medio positus omnes in se convertit.

*b)* *Silentium spirituale*, quo ad tempus aliquod potentiae animi non quidem amittuntur, attamen prorsus attonitae in DEO haerent. Haec scilicet est natura affectuum, ut moderati in verba prorumpant, vehementes vero stuporem facultatumque nostrarum suspensionem inferant.

*c)* *Orationem quietis*, dum nempe anima divinam praesentiam intime persentiscens et degustans illud Cant. 2, 3. sibi usurpat: „*Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.*" Per hanc animi quietem imaginatio, memoria, aliaeque potentiae non suspenduntur, sed operari, imo et evagari possunt; simul vero haec quies, teste S. Theresia, per integros dies inter omnes occupationes perdurare potest. Ast caveat director, ne etiam tum statum hunc supernaturalem adesse autumet, ubi nonnisi consueta cordis teneritudo, et pacata indoles mentem ad tranquillitatem componunt.

*d)* Alium statum *ebrietatem amoris* nuncupant, eoquod anima divino amore plena sui vix non impos reddatur. Huc verba illa transferunt: „*Comedite amici et bibite, et inebriamini, charissimi.*" Cant. 5, 1. Attendat tamen spiritualis director, ne sub hoc mentis excessu levitas indolis, turbatum cerebrum, vel etiam hypocrisis lateat. Et quamvis animus sincero erga DEUM amore exundare videatur, nunquam tamen permittendum est, ut talis in gestus prorumpat, qui vel incompositi et indecentes sint, vel pietatem aliorum risui atque contemtui exponant.

*e)* Quodsi anima tanto DEI amore repleta non solum rerum hujus temporis, sed etiam sui ipsius memoriam

amittit, et inter divina quasi brachia sopitur, id *spiritualis somni* nomine venire solet. Cant. 2, 7.

*f)* Et hi quidem gradus, utcunque nobis sublimes videantur, inferioris tamen ordinis sunt; unde interdum ipsis quoque incipientibus conceduntur. Dum vero mens ad altiora vocatur, fieri solet, ut praevie famelici et sitibundi instar *summos angores* persentiscat. Scilicet postquam pia anima per gradus hucusque recensitos degustare coepit, quam suavis sit Dominus; dumque a plena ipsius fruitione se adhuc alienam et procul distantem videt, eo ferventiori ipsius desiderio excruciatur, quo clarius infinitam ejus bonitatem perspicit. Hinc illi gemitus: „*Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te DEUS! Sitivit anima mea ad DEUM fortem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem DEI?*" Ps. 41, 2. et seq.

## §. 660.

### Continuatio.

1. Totius contemplationis culmen *mystica unio* constituit. Haec unio non in eo consistit, ac si anima proprium *suum esse* amitteret, atque in ipsius DEI essentiam transmutaretur; quem quidem errorem Ecclesia jam pridem damnavit; sed in eo illam reponunt, ut anima ad DEUM elevata semet ipsam ex integro derelinquat, et quasi liquefacta tota in ipsum transformetur, adeo ut non sola voluntas, sed etiam intellectus et omnes ejus potentiae a Divinitate absorbeantur. S. Greg. Naz. talem animam cum stilla aquae comparat, quae multo vino infusa, quamvis *esse suum* haud amittat, a se ipsa tamen deficere videtur, saporem aliasque qualitates vini recipiens. Errant quoque, qui hanc unionem in *solo amore conformitatis* constituunt,

de quo §. 650. dixi. Ad hanc quippe conformitatem omnes eluctari jubemur; unio vero mystica est donum extraordinarium, ex ipso numero perfectorum in hac vita paucissimis concessum.

2. Vi hujus unionis, quamdiu scilicet perdurat, omnes animae potentiae ligantur et absorbentur a Divinitate. Et siquidem suaviter et absque ulla violentia id fiat, *ecstasis* dicitur. Ne tamen vera ectasis cum deliquio confundatur, sequentes potissimum notas discernunt: *a)* In vera ecstasi, quamvis sensus omnes intercepti sint, spiritus tamen ipse jucundissime occupatur, cujus etiam postea aliquatenus saltem recordari solet; in deliquio autem et spiritus ipse intercipitur. *b)* Ecstasis pulcherrimos charitatis fructus profert, quibus merum deliquium plane destituitur. *c)* Demum qui ecstasi defiguntur, ubi *vi obedientiae* jubentur, mox ad se redeunt, non item ex deliquio.

3. Si vero mens cum violentia a sensibus abalienatur, *raptus* dicitur, ubi, dum corpus vix non exanime videtur, animus summo affectuum ardore colliquescit, vel etiam, ut Apostolus de semet ipso fatetur, „*audit arcana verba, quae non licet homini loqui.*“ II. Cor. 12, 4. Ipsum corpus interdum naturalis gravitatis suae quasi oblitum sursum elevatur, et liberum in aëre pendet.

4. Verum ipsius quoque unionis, quam mysticam dicunt, plures iterum gradus distinguunt, quos tamen fusius enumerare nolo. Neque haec gradatio mira nobis videbitur, si cogitemus, etiam in regno gloriae, quamvis omnes DEUM facie ad faciem contemplentur, diversissimos tamen beatitatis ordines dari.

5. Effectus, quos haec unio menti confert, et quasi imprimit, sunt stupendi plane et vix non innumeri. S. Theresia animam eousque elevatam cum bombyce comparat, qui postquam in nido suo sibi pene emortuus fuerat, jam

alas recipit, et ex verme in pulcherrimum papilionem mutatur. Praeter donum sapientiae, scientiae et intellectus, quod tali animae copiosissime infunditur, mens tota in DEUM inardescit, summo desiderio tenetur faciendi patiendique, quidquid illi placuerit, atque omnis ejus conversatio in coelo est, unde nullo rerum humanarum cursu amplius turbari potest. Vesanum tamen foret credere, talem animam peccare non jam posse. Equidem sub singulari DEI praesidio constituitur; attamen quamdiu in corpore degimus, absque speciali gratiae privilegio nemo communem mortalium sortem exuit. Hinc magnus Apostolus, quamvis usque ad tertium coelum raptus fuerit, suum tamen corpus castigandum censuit, ne forte, cum *aliis praedicasset, ipse reprobus efficeretur.* I. Cor. 9, 27.

## §. 661.

### Regulae practicae.

1. Contemplatio est donum extraordinarium, quod ne piissimis quidem mentibus semper conceditur. „*Multi tota vita sua ad hoc tendunt, sed non perveniunt; quibus tamen, si pie et perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur, quod in hac vita dispensatorie est negatum.*“ S. Bern. serm. 3. de circumc. Imo etiam illi, qui talem gratiam experti sunt, eadem non pro suo arbitrio frui permittuntur. „*Neque enim,*“ ut denuo S. Bern. ait, „*hoc irrevocabile verbum. It et redit pro beneplacito suo, quasi visitans diluculo, et subito probans. Et ire quidem illi quodammodo dispensatorium; redire vero semper voluntarium est.*“ Absit ergo, ut spiritualis director poenitentem vi quasi sustollere, et ad contemplationem quodammodo urgere velit. Potius unumquemque per *viam ordinariam* ad convenientem perfectionem dirigat. Pari modo permittendum non est, ut poenitentes

ipsi contemplationem multum affectent, vel ut omnino hunc in finem diversas artes adhibeant, facultatesve suas ridicule intendant etc. Etiam de contemplatione obtinet, illam non *esse volentis*, *neque currentis*, *sed miserentis DEI.* Et sane nisi talibus solicite invigiletur, magnos quidem passus facient, *sed extra viam.* „*Quicunque ad extraordinaria haec et tam sublimia anhelant*, *diabolicis fraudibus et illusionibus prae reliquis subjiciuntur*, *et saepe fit*, *ut qui se Angelos opinantur*, *nedum boni homines sint.*“ S. Franc. Sal. Philoth. P. III. c. 2. Quare severe redarguendi sunt, in quibus inordinatum hujuscemodi desiderium detegitur, praesertim siquid eidem vanitatis subsit. Discant prius coram DEO semet ex integro humiliare, suas refrenare passiones, officiis sibi incumbentibus exacte defungi etc., prout Eccli. 3, 23. et seq. inculcatur: *Altiora te ne quaesieris*, *sed quae praecepit tibi DEUS*, *illa cogita semper etc.*“

Ex his deliria Quietistarum facile refelluntur. Scilicet Malavallius et Mich. Molinos usum meditandi inutilem, imo perfectioni adversantem dixerunt, et unumquemque ad contemplationem pertingere posse, dummodo mere passive se gerat, ita ut neque aliquid cogitans, neque ullum affectum ciens coram DEO se sistat, ejusque impetum exspectet. Vid. inter Molinosii propositiones ab Innoc. XI. apostolico fulmine prostratas prop. 20., 21., 27., 30., 33. et 35.

2. Ast aeque erroneum foret animam a benignissimo Numine ad altiora vocatam retrahere. Nos quippe DEI adjutores atque ministri sumus, et proinde ipsius quoque ductum sequi tenemur, ut singulas animas eo dirigamus, quo DEUS ipse illas vocare videtur. Et inter homines quidem in saeculo viventes ea, quae §.§. 657. et seq. ceu praevias ad contemplationem dispositiones digessi, vix unquam invenies, et generatim vide, cui fidas. Quamvis

etiam in hoc vivendi genere exempla non desint, quale, ut de viris apostolicis taceam et nonnisi unicum afferam, in virgine Armella de Nicolao stupemus. Multo frequentior numerus eorum occurrit, qui in ordine religioso vitam contemplativam professi felicissimo otio fruebantur *sedendi secus pedes Domini, et audiendi verbum illius.* Attamen qui etiam ejusmodi animas dirigendas habent, summopere sibi caveant, ne forte decipiantur; nostra praecipue aetate, ubi „*viae Sion lugent, eoquod non sint, qui veniant ad solemnitatem.*" Thren. 1, 4. Generatim spiritualis moderator non errabit, si, dum eidem insolita exponuntur, ad credendum se potius tardiorem, quam faciliorem praebeat. Et quamvis ea, quorum conscius redditur, sat solida videantur, mature tamen et lente procedat, ac aliorum, qui magis periti fuerint, consiliis utatur; tum vero talem animam diversimode experiri studeat, per obedientiam maxime et humilitatem; scilicet ut e silice ignem elicias, illam non leniter tractare, potius admoto chalybe percutere debes, donec latentes scintillae emicent. Si unquam, certe ad tales homines rite dijudicandos illud Redemtoris applicetur: „*Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.*" Matth. 7, 20. Cf. §. 628. Denique confessarius cum humili de semet ipso diffidentia donum *discretionis spirituum* supplex a DEO efflagitet, ut possit „*probare spiritus, si ex DEO sint; quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum.*" I. Joann. 4, 1.

3. Si poenitens reapse favores extraordinarios expertus fuit, summopere cavendum est, ne exinde de virtute sua confidat, seque DEO singulariter acceptum vel jam in tuto positum arbitretur, aut ne deliciis hisce inordinate adhaerescat. Timeat potius, quia *omni, cui multum datum est, multum quaeretur ab eo.* Sacramentum regis, excepto confessario, cui intima quaeque pandenda sunt, solicite

occultet; singulari studio mortificationi et exercitio solidarum virtutum incumbat, atque talem in omnibus se exhibere annitatur, ut ad omnem DEI voluntatem dispositus non donis ac datis ejus, sed DEO soli inhiet, qui est principium et fons bonorum omnium.

Ex quibus denuo perspicitur, quid de illis censendum sit, qui nostris temporibus sine Ecclesia, sine Sacramentis, sine praevia dispositione, sed subito se regeneratos et plenos Spiritu divino jactitarunt. Verum nemo sanae mentis est, qui eos ex fructibus eorum non jam cognoverit.

### §. 662.
#### De reliquis adjunctis contemplationis.

1. Primarius contemplationis finis est, ut mens a maculis suis depurgata atque tota ignescens ad plenam denique cum DEO unionem pertingat. Verum quo certius id fiat, etiam reliquae potentiae seu facultates hominis modo omnem naturam transcendente affici consueverunt. Insuper iis, qui ad intimius DEI consortium admissi sunt, plerumque etiam tales gratiae conceduntur, quas supra §. 652. *gratis datas* vocavimus. Imo fieri potest, ut, qui contemplationis expertes sunt, hisce tamen resplendeant. Brevitatis causa tantum de visionibus supernisque revelationibus pauca commemoro. Equidem praesertim in his summa circumspectio requiritur, ne vel imaginatio vel fallax ingenium nobis imponat; quia tamen ipsa sacra Scriptura talia refert, absit, ut, quidquid naturam et captum nostrum excedit, statim ceu fictitium explodamus.

2. Quantum ad visiones tres illarum species distinguunt, nempe corporeas, imaginarias et intellectuales. Itaque *visio corporea*, quae simul supernaturalis sit, est extraordinaria rei vel personae cujusdam manifestatio, per species sensibiles nobis obtingens. Superfluum foret ex

sacris literis talium visionum exempla referre, cum in utroque Testamento frequens illarum mentio fiat. *Visionem imaginariam* dicunt esse internam certi objecti repraesentationem, quae ope superni luminis ita in phantasia efformatur, ut objectum istud multo clarius nobis obversetur, quam si illud oculis corporeis intueremur. Denique *visio pure intellectualis* est certa et clara notitia alicujus objecti, tum a sensibus externis tum ab imaginatione prorsus independens.

Specialem mentionem illa visio meretur, quam *intellectualem in caligine* vocant. Duplicem nempe, quam de DEO habere possumus, cognitionem distinguunt; alteram per *affirmationem*, qua, quidquid bonitatis, pulchritudinis vel perfectionis in rebus creatis datur, per emineutiam in DEUM transferimus; alteram per modum *negationis*, dum easdem rerum creatarum perfectiones de DEO negamus; non quasi eidem non convenirent, sed quia Divinitas omnia, quae bona vel perfecta dicuntur, *in infinitum* transcendit, ita ut tota rerum universitas cum DEO comparata penitus evanescat. Quo in sensu antiquissimus auctor sub nomine Dionysii Areop. ait: *„Rursus dicamus ascendentes, quod neque anima est DEUS, neque intellectus, neque ratio, neque intelligentia, nec scientia, neque sapientia. Omnia quippe incomparabiliter et inexcogitabiliter excedit, et nec numero, nec specie, nec genere quidquam cum eo communicat.“* Quodsi ergo mens singulari lumine perfusa DEUM prorsus incomprehensibilem, et quidquid de eo dicatur cogiteturve, infinities superiorem esse intelligit, sique ex hoc simplici intuitu tota absorbetur, et semet ipsam quasi deperdit; hanc *visionem in caligine* nuncupant. *„Sic nempe in hac visione DEUS praesentiam suam exhibet, ut faciem suam minime ostendat. Adhuc nubes et caligo in circuitu ejus; adhuc thronus ejus in columna nubis. Et sic videt anima velut in nocte, videt velut sub nube, videt per speculum in aenigmate.“* Rich. a S. Vict. Contra visio intellectualis *clara et manifesta* dicitur, dum DEUS tandem lucidas has

nubes disrumpit, seque animae colliquescenti summa cum claritate manifestat. Attamen utcunque talis intuitus humanam rationem, imo et lumen fidei transgrediatur, plurimum tamen differt a *visione coelesti*, qua *similes ei erimus*, *et* revelata facie *videbimus eum*, *sicuti est*. 1. Joann. 3, 2. Pulcherrime iterum de his S. Theres. disserit, proprias suas experientias allegando.

3. Eadem fere de *supernaturalibus locutionibus* obtinent, quae pariter vel exterius auribus hominis insonant, prout e. g. Matth. 3, 17. populus vocem de coelo audivit; vel in phantasia formantur, vel demum soli rationi perceptibiles fiunt.

*Verba substantialia* dicunt, quae, quod exprimunt, eodem momento efficaciter operantur, e. g. dum anima valde turbata ad unicam vocem: *Noli timere*, *ego tecum sum*, mox plena tranquillitate fruitur.

4. Huc denique *revelationes* pertinent. Est vero revelatio manifestatio veritatum occultarum, vel divinorum arcanorum per lumen infusum, quo quis de ejusmodi veritatibus vel arcanis certus redditur. Res, quae manifestantur, sunt vel *praeteritae*, e. g. dum Moysi creatio mundi fuit patefacta; vel *praesentes*, prout Eliseus omnia perspecta habuit, quae in consilio regis Syriae agebantur, IV. Reg. 6, 11., vel demum *futurae*. Porro ejusmodi revelationes homini vel vigilanti et sui penitus compoti, vel in ecstasi, vel etiam in somno obtingere possunt.

5. Et haec quidem omnia nonnisi per modum eruditionis afferre placuit. Pro ipso usu praeter regulas negativas, quas §. 628. proposui, nonnulla monita subjungo.

## §. 663.

### Monita pro directore spirituali.

1. Generatim nisi rationes plane singulares occurrant, dum poenitentes asserunt, visiones et ejusmodi, vel pro-

phetica sibi somnia obtigisse, confessarius nullam ipsis fidem adhibeat, seque hisce narrationibus ne parum quidem commotum ostendat. Sic enim ab errandi periculo remotior erit. Plerumque qui talia sibi evenisse autumant, ejusmodi sunt, qui multa id genus legerunt, et exinde magno illorum desiderio tenentur; item homines praefervidae phantasiae, atrae bilis, mentis hebetioris, vel etiam corporis sive diutinis infirmitatibus sive per nimias austeritates valde exhausti. Interdum etiam directa simulatio et hypocrisis locum habent. Quae quidem omnia praecipue de sexu sequiori notanda veniunt. Quod speciatim *somnia* attinet, etiamsi talia saepius divinitus immissa fuerint, ipsa tamen sacra Scriptura iterato ab illorum observatione nos dehortatur. Levit. 19, 26. et Deut. 18, 10. Etenim ut Eccli. 34, 5. dicitur: „*Divinatio erroris, et auguria mendacia, et somnia malefacientium vanitas est. Et sicut parturientis, cor tuum phantasias patitur; nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum. Multos enim errare fecerunt somnia, et exciderunt sperantes in illis.*“

2. In casu aliquo singulari, dum e. g. persona humilitate aliisque solidis virtutibus plane insignis, et sedatae simul indolis tale quid sibi obtigisse testatur, et si praeclari insuper hujus rei fructus in illa observantur; negotium cum viris probatis juxta illas regulas serio expendatur, quas solidi auctores Ecclesia suffragante statuunt. Ut paucis omnia complectar, res tales extraordinariae absque dubio spuriae vel etiam a daemone immissae censeri debent, siquid in illis occurrit suadeturve, quod impudicum, crudum vel immodestum sit, vel omnino certis fidei morumque principiis repugnet; similiter si nonnisi ad fovendam inanem complacentiam vel ad solam fere curiositatem conducat. Praeterea, ut Bened. XIV. scribit, „*appa-*

*ritiones divinae ab initio timorem injiciunt, postea jucundae evadunt, quod contigit Abrahamo, Jacobo, Zachariae, B. Virgini, pastoribus etc. Contra daemoniacae ab initio ut plurimum alliciunt, semper vero mentem turbatam et aegre affectam relinquunt.*" Idem criterium sapientissimus Pontifex ad revelationes adhibet; tum vero addit: „*Magna autem habenda est ratio feminei sexus: non quod feminis negandae sint coelestes revelationes, cum forte plures ex iis, quam ex viris eas expertae sint, ut innuunt S. Theres. et S. Thomas; sed propter debilem sexum magis obnoxiae sunt illusionibus.*"

3. „*Finis autem praecepti est charitas de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta.*" I. Tim. 1, 5. „*Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam; et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.*" I. Cor. 13, 2. Haec vero charitas, ut verbis S. Bonaventurae utar, „*ad superiora ascendit, ut in eis requiescat; ad inferiora tendit, ut ea ad se reducat; sursum movetur, ut illic maneat; deorsum, ut redeat.*" Haec igitur, o sacerdos, *meditare, in his esto; ut profectus tuus manifestus sit omnibus.*" I. Tim. 4, 15.

F i n i s.

# INDEX

## RERUM NOTABILIORUM.

### A.

D.

## N.

## O.



## P.

## T.

350

4.5.23